



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.  
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate  
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In  
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

**LePrévost, Jean**

**Dvaci, 1629**

Qvæstio V. De insolubilitate matrimonij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)



*Sanchez.* iustitiâ cap. 17. dubit. 11. num. 76. *Sanchez* lib. 2. de matrimonio disp. 35. num. 2. & disp. 36. num. 4. & 5. *Henriquez* lib. 11. cap. 3. num. 6. *Rebellius* 2. parte de obligationibus iustitiæ lib. 2. quæst. 9. num. 4. & plures alij. debet ergo eam suauiter inflectere, vt velit in illum consentire independentem à priori contractu, ita vt licet contractus fuisset inualidus, velit nihilominus eum tanquam maritum habere.

*151.* Quod si nihil periculi timeatur eò quod compartes se mutuo ament, neque pars ignara putetur vilo modo præbitura se difficile manifestatâ inualidatione prioris contractus, videtur satis congruum, vt id ei aperiat, tacito saltem impedimento, quod legitime est sublatum.

*Casus notabilis.* Sed quid si prudenter timeatur compartem non renouaturam consensum, si vel ei fiat mentio renouationis, quantumvis non indicetur priorem contractum fuisse inualidum, sufficietne ad reualidationem matrimonij, quod compars, quæ nouit sublatum impedimentum, de nouo consensum exterius declarat, eumque præstet independentem à priori contractu, compars totius rei ignarâ in suo consensu permanente? interdum enim potest accidere, vt si vel minimus sermo fiat de consensu renouando, compars sit suspicatura aliquid subesse, propter quod hæc consensu renouatio petatur, & forte sit suspicatura priorem contractum fuisse nullum, & visura compartem ad rei veritatem aperiendam, quâ cognitâ non volet ulterius procedere, vnde sequetur graue scandalum, vel periculum in vitâ, vel famâ eius, qui nouit priorem contractum fuisse nullum.

*Sanchez.* Aliqui censent eo casu licitum esse dicto modo se gerere, ita *Sanchez* disput. 36. num. 8. & 9. *Lessius* supra num. 77. vt si mulier conscia sublationis impedimenti non posset effugere redditionem debiti, & tamen ex alterâ parte non posset sine morali periculo grauis mali vel tenuiter petere à marito, vt præstet consensum maritalem independentem à priori contractu, vel aliâ commodâ ratione.

*152.* Certè, quamuis propter multitudinem authorum, qui censent etiam extra hunc casum necessitatis posse hoc modo matrimonium validari, non videatur planè illicitum in hac saltem circumstantiâ vti illâ sententiâ, si tamen rationes à nobis factæ perpendantur, nullo modo videtur licere. nam illa videtur euidenter ostendere consensum, in quo pars ignara impedimenti, & sublationis illius virtute remanet, non sufficere ad reualidandum contractum, qui erat inualidus, cum talis consensus actu præstaretur.

*Replica.* Dices, compars ignara impedimenti, & sublationis illius intendit omnibus modis, quibus potest actum coniugalem exercere, nec vult vilo modo fornicari, ergo consentiens in copulam præstat sufficientem consensum ad reualidandum matrimonium.

*Resp.* ad antecedens, non aliter intendere, quam ex vi prioris contractus, quem bonâ fide putat esse validum, quod sufficit, vt non censeatur velle fornicari. patet ex communi modo se habendi coniugum, cum non occurrat ratio dubitandi de inualiditate contractus. non enim solent formare consensu conditionatos, nec censentur ex iis ferri in se inuicem affectu maritali & actum coniugalem exercere, sed omnia faciunt virtute contractus à se initi, idque sufficit, vt non censeantur velle fornicari.

*151.* Quidquid sit de casu grauissimæ cuiusdam necessitatis, saltem dicendum communiter non licere vti sententiâ asserente sufficere vt solus consensu sublationis impedimenti consensum renouet.

## QVÆSTIO V.

## De insolubilitate matrimonij.

## DVBIUM I.

*Vtrum vinculum matrimoniale sit insolubile, ita vt utroque coniuge viuente matrimonium solui non possit?*



*1.* **H**ÆRETICI huius temporis censent quibusdam casibus licere soluere matrimonium, nam *Bucerus*, vt refert *Valent.* tomo 4. disput. 10. quæst. 1. puncto 7. censet coniugem posse matrimonium soluere, & aliud inire, si compars nolit se fidelem præstare ad coniugij officium, vel si per absentiam non præstet, immò quacumque ex causâ ei displiceat, vt refert *Bellarmin.* lib. de matrimonio cap. 15. Idem censet *Lutherus* apud *Valent.* supra ex causâ absentiae comparts, vel propter eius adulterium, propter quod sectarij passim censent vinculum matrimoniale posse dissolui, similiter & *Græci*, vt potest colligi ex sess. vltimâ Concil. Florent. vbi *Eugenius Pontifex* dixit eos grauiter à Latinis accusari, quod matrimonia dissoluerent, quod etiam nunc facere in causâ adulterij tradunt varij authores, cui sententiæ subscribit *Caiet.* in cap. 19. *Matth.* & 10. *Marci.*

*2.* Sed de fide est, exceptis quibusdam casibus, de quibus infra, vinculum matrimonij solui non posse, definitur à Trident. sess. 24. can. 5. in hæc verba: Si quis dixerit propter hæresim, aut molestanti cohabitationem, aut affectatam absentiam, à coniuge dissolui posse matrimonij vinculum, anathema sit. & can. 7. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui, & eorumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mœchæque eum, qui dimissa adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alij nupsit, anathema sit. quibus canonibus aperte damnantur omnes hæreticorum hac de re errores, necnon & opinio *Caietani*, quæ est erronea. Eadem veritas patet ex Concil. *Elibertino* cap. 9. & indicatur in Concil. *Mileuitano* cap. 17. vide canonem, *fidelis*, & can. *placuit*, 32. quæst. 7.

*Concil. Elibertino.* Probatum 1. ex scripturâ *Genes. 2.* Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suæ, quibus verbis primus parens voluit indicare indissolubilitatem vinculi matrimonialis, quo fiat, vt quamdiu viuunt vxor, vir debeat illi adherere, similiter & vxor viro, quod *Christus Dominus* apertius docuit *Matth. 19.* Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna, itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, quibus verbis respondens quæstioni *Phariseorum*, docet vinculum matrimonij nullâ ex causâ solui posse viuente utraq; comparte, eamque fuisse

matri-

*1.**Errores hæreticorum**Valent.**Bellarmin.**Error Græcorum.**2.*  
*Veritas Catholica.*  
*Trident.**Concil. Elibertino.**Mileuit.**Can. fidelis.**Can. placuit.**Prob. 1.**Gen. 2.**Matth. 19.*



matrimonij conditionem in primâ sui institutione.

Confirm.

Confit. ex eo quod paulo post addat: *Ab initio autem non fuit sic id est, in initio non fuit permixtum vxorem dimittere.*

3.

Dices, Christus ibidem dicit: *Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, indicans vxorem posse dimitti ob fornicationem, & matrimonium cum aliâ iniri, & proinde dissolui prius matrimonium.

Resp. neg. assumptum: nam particula, *nisi ob fornicationem*, non respicit omnia membra orationis, sed solum illud, *quicumque dimiserit uxorem*, quasi dicat: propter duriciem vestram variis de causis vobis concessum fuit à Moyse vxores dimittere, ego autem dico, non licere impoterum dimittere, nisi ob fornicationem, & tunc quidem solum quoad thorum, & cohabitationem, vel sic: exceptâ fornicationis causâ, de qua iam non ago, ne quidem quoad thorum, & cohabitationem licet vxorem dimittere, hunc esse sensum verborum S. Matth. probatur ex locis citatis Concil. Trident. & Elibertini, item ex cap. 10. Marci: *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum suum & alium nupsit, mœchatur*. quibus verbis docetur nullo euentu virum ita posse dimittere vxorem, vt possit aliam ducere, & proinde vinculum matrimoniale non posse solui illâ viuentem: si enim solueretur, maritus adhærens alteri non deberet dici adulterium committere super relictam, similiter ex cap. 16.

Luc. 16.

Lucâ ubi dicitur: *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur*. ex quibus locis patet sensus sententiæ Domini apud Matth. quod noluerit licere propter fornicationem dimittere vxorem soluto matrimoniali vinculo, & proinde illa verba, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur, intelligi vniuersaliter.

Prob. 2.  
Rom. 7.

Probatur 2. ex cap. 7. ad Romanos: *Quæ sub viro est mulier, viuenti viro alligata est legi* (scilicet matrimoniali seu eius vinculo) *igitur viuenti viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*, 1. ad Corinth. 7. *Ijs autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere inuictam aut viro suo reconciliari*. ubi Apostolus explicans Christi doctrinam tradit, etiam quo casu potest vxor virum relinquere, eam non posse alteri nubere, & proinde per huiusmodi recessum non solui vinculum matrimoniale.

Ex quibus scripturæ locis patet matrimonium non posse ex partium consensu dissolui quoad vinculum, item non posse dissolui propter adulterium alterius partis, & in eo eandem esse rationem vtriusque coniugis, cum quoad vinculum coniugale, & coniugalem actum sint paria iura mariti, & vxoris, vt patet ex eodem Apostolo 1. ad Corinth. 7. citato.

Prob. ex PP.  
Innoc. 1.

Eadem veritas probatur ex Patribus, Innocent. 1. epist. 3. ad Exuperium cap. 6. *Qui interueniente repudio alij se matrimonio copularunt, in vtraque parte adulteros esse manifestum est*. Ambros. lib. 8. in Lucam in cap. 16. *Audi quid dixerit Dominus: Qui dimittit uxorem facit eam mœcham, etenim cui non licet viuenti viro mutare coniugium, potest obrepere libido peccandi, itaque qui author erroris, etiam reus culpe est*. Hieronym. in cap. 19. Matth. *Sic priorem dimittere iubetur uxorem, vt secundam primâ*

Hieron.

viuenti non habeat. Augustin. lib. 1. de nuptiis, & concupiscentiâ cap. 10. *Ita inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre*, lib. 1. de bono coniugali cap. 7. *Interueniente diuortio non aboletur illa confederatio nuptialis, ita vt sibi coniuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati*. plura eiusdem Patris & aliorum testimonia videri possunt apud Gratianum quaest. 7. citata primis canonibus, quibus sententia Christi Domini Matth. 19. modo à nobis explicato proponitur.

Ex his patet matrimonium semel legitime contractum non posse solui propter femine sterilitatem, 2. ex eo quod vir propter senium, vel aliâ de causâ redditus sit impotens, 3. ex eo quod coniuges propter morbum se mutuo non possint cognoscere, denique propter quamlibet causam legitimo matrimonio superuenientem, idque etiam inter ethnicos, & nunquam baptizatos, quia Christus indissolubilitatem matrimonij pro quibusvis ad primam institutionem reuocauit, 2. Concil. Trident. definiens vinculum matrimonij non posse solui propter affectatam coniugis absentiam, vel eiusdem adulterium, non tantum definiuit quoad baptizatos, sed definitio quoad quolibet est intelligenda, cum contineat doctrinam vniuersalem, nec possit ex aliquo capite colligi, quod ad certum hominum genus restringatur, 3. quia in eadem vniuersalitate dicta Sanctorum Patrum sunt accipienda.

Obiicies, Apostolus 1. ad Corinth. 7. ait: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seipsum subiectus est frater aut soror in huiusmodi*. ita Lutherus, qui per infidelem intelligit compartem, quæ fidem coniugalem per adulterium violat, vel per affectatam absentiam debitum coniugale compartit denegat.

Resp. nihil ex hoc loco pro hæreticorum errore posse confici: nam Apostolus in sententiâ citatâ eam vocem sumit pro gentili nondum ad fidem conuerso, vt patet ex præcedentibus, cum in eâ parte agat de coniugibus disparis cultus, & hortetur coniugem baptizatum, vt non dimittat compartem infidelem, si ea consentiat cohabitare, scilicet sine contumeliâ creatoris, si vero infidelis nolit cohabitare, vel non vult cohabitare absque Creatoris iniuriâ, permittit Christiano, vt aliud matrimonium inire possit, de quo in sequentibus.

## D V B I V M, II.

*Quo iure matrimonium sit insolubile?*

**T**RIPLEX est hac de re sententia.

Prima est multorum Canonistarum, quos citat Sanchez lib. 2. disput. 3. num. 6. existimantium insolubilitatem matrimonij provenire ex iure Pontificio.

Secunda docet provenire ex iure diuino, ita Abulensis in cap. 8. 1. Regum quaest. 97. & alibi.

Tertia docet provenire ex iure naturæ seu, ex naturali cōditione ipsius matrimonij. Henriquez Henr. lib. 11. cap. 8. num. 2. Bellarm. lib. de matrimonio cap. 4. Rebellius lib. 2. quaest. 15. sect. 1. conclus. 1. Estius distinct. 33. §. 7. & alij.

Dico



7. *Conclus. 1.* Dico 1. non videtur probabile matrimonium etiam ratum solo iure Ecclesiastico esse insolubile.

Prob. 1. Probatur 1. vinculum matrimonij initio mundi fuit insolubile, vt patet ex Gen. 2. iuncta Christi explicatione Matth. 19. quo loco non tantum indicatur matrimonium consummatum esse insolubile, sed etiam ratum, cum Adamus verba: *Quam obrem relinquet homo patrem suum &c.* protulerit, antequam uxorem cognosceret, & Christus Dominus explicauit de matrimonio in eo statu spectato, in quo Adamus spectauerat, igitur prima insolubilitas matrimonij etiam rati non provenit ex iure humano, & proinde neque in lege Euangelicâ.

Confirm. ex Trident. in doctrinâ de hoc Sacramento, ubi docet primum parentem diuini spiritus instinctu pronuntiasse insolubilem nexum matrimonij, cuius nexus firmitatem etiam confirmauit Christus Dominus.

Prob. 2. Probatur 2. si matrimonium ratum solo iure Pontificio esset insolubile, matrimonia rata non baptizatorum non essent insolubilia, cum lex Ecclesiæ eos non obliget, & proinde mutuo consensu solui possent, quod est contra communem conceptum.

8. *Conclus. 2.* Dico 2. videtur verius, quod hæc insolubilitas non proveniat ex solo iure diuino, sed etiam oriatur ex ipso iure naturæ, & ex naturali matrimonij conditione.

Prob. 1. Probatur 1. matrimonium ab initio fuit insolubile, ad quem statum à Christo reductum est, sed in statu innocentie non videtur ea insolubilitas orta ex iure diuino, ergo profluxit ex iure naturæ seu ex naturali matrimonij conditione. Minor probatur, quia multorum Doctorum sententiâ in initio mundi non fuit vllum præceptum positium diuinum, præterquam de abstinentiâ ab arbore veritatis.

Prob. 2. Probatur 2. matrimonialis contractus ex sua naturali conditione eo spectat, vt species humana modo sibi congruo conseruetur non potest autem conseruari modo contentienti, si coniuges sibi mutuo tradant dominium corporum communi consensu reuocabile, ergo dominium hoc modo secundum naturalem matrimonij conditionem tradi nequit. Minor probatur, si coniuges mutuo consensu possint soluere contractum, & ab eo recedere, negligetur instructio prolis, & non ita apte eadem de alimentis providebitur.

Prob. 3. Probatur 3. amor, qui inter coniuges debet intercedere, docet vinculum matrimoniale iuxta naturalem exigentiam debere esse firmum, & insolubile: nam si mutuo consensu solui possit, cur non poterit solui ab vnâ parte, alterâ inuitâ, quæ huius dissolutionis dederit occasionem? si vno vel altero modo solui possit, refrigescet amor inter coniuges, minuetur sollicitudo, & mutuum auxilium in rebus domesticis, sumetur occasio multorum delictorum.

Prob. 4. Probatur 4. si vinculum coniugale naturâ suâ solui possit ex contrahentium voluntate, non apparet, quod fornicatio iure naturæ sit illicita: si enim tradi potest dominium corporis in ordine ad generationem reuocabile, cur non potest ad eundem finem tradi simplex vsus corporis?

Dices per actum carnalem committeri corpora, quod fieri non potest, nisi inducatur vinculum insolubile.

Resp. non apparere cur intra limites iuris naturæ id potius sit dicendum, quàm alterum: quævis enim per commixtionem corporum significetur coniunctio Christi cum Ecclesiâ per vniionem hy-

postaticam, quæ est insolubilis: ea tamen significatio extrinsecus aduenit etiam matrimonio consummato, nec ei conuenisset, si Adam non peccante Verbum non assumpsisset humanam naturam, quod tenent varij, & proinde ex eo capite non conuenit iure naturæ peculiaris insolubilitas matrimonio consummato, quæ non conueniat ratio, & per consequens si matrimonium ratum non fortietur eo iure insolubilitatem, neque eam fortietur consummatum, non apparet ergo cur potius iure naturæ sit illicitum concedere alicui vsus corporis sui in ordine ad generationem non concessio dominio, quàm concedere dominium reuocabile.

Contra resolutionem obicitur 1. quod multi sapientissimi viri existimant repudium esse licitum, vt Plato, Cato, & plures Iurisconsulti, immo dicitur permissum fuisse apud Athenienses, ergo &c.

Confir. cum Christus Matth. 19. dixisset: *Qui dimissam duxerit, moechatur*, discipuli tanquam de re nouâ admirantes, dixerunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, non fuissent autem ita admirati si vinculum matrimonij iure naturæ esset insolubile.

Resp. neg. consequentiam, eiusque probationem, quia constat plures esse veritates naturales, quæ non ita facile cognoscuntur ab eo qui non est altiore lumine illustratus, quales sunt ex. gr. non ita immediatè deducuntur ex principiis naturæ, vel non deducuntur ita euidenti consequentiâ, vt fornicationem esse illicitam, nullo vnuquam euentu mendacium esse licitum; inter eas autem veritates reponenda est hæc de insolubilitate matrimonij, cuius præcepti, & veritatis notitia reddita est obliuio per concessionem libelli repudij Iudæis factam: nam ex quo fuit vsitatus apud illos libellus repudij, paulatim perijt notitia insolubilitatis consequentis iure naturæ matrimoniale vinculum etiam apud ethnicos, quos verisimile est exemplo Iudæorum vsurpasse repudium, vnde mirum non est si Plato, alique viri sapientissimi existimarent illud esse licitum, scilicet propter inueteratam consuetudinem. potuit etiam Plato id legere in libris Moyses, & ex eo ceteri haurire, præsertim, cum non videantur tradere, quid liceat uxori virum repudiare: cum tamen intra limites legis naturæ quoad hoc paria debeant esse iura vtriusque coniugis.

Ex his colligi potest responsio ad confirmationem: dico enim discipulos adhuc rudiores admiratos fuisse tanquam de re nouâ, eo quod id repugnaret inueteratæ consuetudini, & communi opinionioni: ex quo tamen non sequitur insolubilitatem non conuenire matrimonio iure naturæ.

Confir. 1. Christus satis ostendit se rem nonam non constituere, cum dicat: *Ab initio autem non fuit sic.*

Confir. 2. iuxta communem sententiam eo loco matrimonium reduxit ad primam suam conditionem, ergo signum est illud secundum naturalem conditionem esse insolubile.

Obicitur 2. si matrimonium consideretur, vt est in naturæ officium, non apparet, quod maritus non possit dimittere uxorem sterilem & aliam ducere, cum nullum inde proli incommodum sequatur, non apparet etiam, quod non possit dimitti vxor, quæ perpetuè ægrotat, nec potest marito debitum reddere.

Resp. etiam propter hanc rationem hoc naturæ præceptum

Obiectio 1.

Ethnici probabiliter exemplo Iudæorum vsurpauerunt repudium. Occasione erroris Platonis.



præceptum non esse ita clarum: dico tamen, quod etiam intra limites legis naturæ pars, quæ propter morbum non potest sedare concupiscentiam comparsis, dimitti non possit, quia propter casum, in quo per accidens aliquod incommodum sequitur, non licet reuocare dominium semel absolute traditum, si traditio ex conditione contractus sit irreuocabilis; si ergo possimus aliunde ostendere matrimonialem contractum ex sua conditione postulare, ut partes sibi mutuo tradant dominium corporum irreuocabile, traditio non poterit reuocari propter euentum fortuitum & per accidens se habentem, qualis est euentus positus in secundâ parte argumenti. ad priorem partem Resp. quamuis in eo casu particulari per accidens nullum sequeretur incommodum, sequeretur tamen magnum incommodum speciei, si contractus ex sua conditione esset solubilis, & proinde etiam intra limites naturæ debet statui insolubilis, quam insolubilitatem debet retinere etiam quo casu per accidens non sequeretur reipsa incommodum: quemadmodum commixtio maris & femina extra statum matrimonialem est illicita, etiam eo casu, quo vir opulentus possit, & velit susceptæ proli prospicere, similiter etiam si in aliquo casu non esset periculum futuræ prolis.

II.

Obiectio 3. crimēbris.

Obicitur 3. olim apud Iudæos matrimonium etiam consummatum poterat dissolui. 2. in lege Euangelicâ solui potest matrimonium cōtractum in infidelitate vno ad fidem conuerso. 3. matrimonium fidelium ratum aliquo casu potest solui, ergo signum est matrimonium non esse ex sua ratione insolubile, sed solum iure diuino.

Resp.

Resp. neg. consequentiā: quemadmodum enim non sequitur: licebat olim viro simul habere plures uxores, iam autem non licet, ergo polygamia solo iure diuino est illicita: ita propter ea, quæ in argumento ponuntur, non sequitur insolubilitatem matrimonij ex solo iure diuino provenire. Adde, quod olim non licuit uxori virum dimittere, non provenit ex aliquo diuino præcepto, sed ex iure naturæ, cum ergo intra limites iuris naturæ paria sint iura mariti, & uxoris, dicendum illo iure non licere viro uxorem dimittere.

12.

Obiectio 4.

Obicitur 4. maior insolubilitas conuenit matrimonio eo quod sit Sacramentum, ut communiter Doctores, quam ex eo quod sit contractus civilis, quod etiam potest confirmari ex August. lib. de bono coniugali cap. 7. dicente: *Quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis, quod nequaquam puto tantum valere potuisse nisi alicuius rei maioris quoddam Sacramentum adhiberetur*, & lib. 1. de nuptiis & concupiscentiâ cap. 10. *Huius procul dubio Sacramenti res est, ut mas & femina coniugio copulati quamdiu viuunt, inseparabiliter perseuerent.*

Resp.

Resp. maiorem reipsa insolubilitatem conuenire matrimonio, ut est matrimonium ratum fidelium, nego tamen inde sequi matrimonium ex sua conditione naturali non habere insolubilitatem: id enim solum arguit, quod Deus, cuius concessione matrimonium solui posse dicemus, illud reliquerit perfectæ suæ conditioni naturali, quando est consummatum inter baptizatos, & quod similiter aliquomodo reliquerit eidem conditioni, quando est ratum, ita ut saltem difficilius soluiatur, quam quando solum est contractus civilis inter non baptizatos.

Explicatur 5. August.

Aduerte tamē minus solidè adferri Augustinum quasi insolubilitatem matrimonij referat in rationem Sacramenti propriè dicti, cum locis citatis non

videatur uti nomine Sacramenti in significatione apud Scholasticos usitatâ, quâ matrimonium dicitur vnum ex septem legis nouæ Sacramentis, sed prout in genere idem significat, quod signum rei sacræ, scilicet coniunctionis Christi cum Ecclesiâ. Præterea non potest satis certò statui firmitatem matrimonij rati inter fideles oriri ex ratione Sacramenti, cum plures sentiant non omne matrimonium legitimū, initum à fidelibus esse Sacramentum, & tamen asserant habere firmitatem matrimonij rati, item cum matrimonium infidelium sortiatur firmitatem matrimonij rati, quando uterque baptizatur, quo casu verius est nunquam fortiri rationem Sacramenti.

## DVBIVM III.

Utrum in lege antiquâ matrimonium solueretur quoad vinculum per libellum repudij?

DEUTERONOMII 24. dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenit gratiam ante oculos eius propter aliquam feduitatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Petitur, num Iudæi ita potuerint uxores dimittere, ut solueretur vinculum matrimoniale: ratio dubitandi est, quod matrimonium naturâ suâ sit insolubile.

Duplex est hac de re sententia.

Prior negat matrimonium fuisse solum, ita Sotus dist. 33. Quæst. 2. art. 2. conclus. 2. Conar. 2. parte epitomes 4. decretalium cap. 7. §. 4. num. 4. & plures alij.

Posterior asserit, Sanchez lib. 10. de matrimonio disp. 1. num. 7. Bellar. lib. de matrimonio cap. 17. in obiectiōe 14. §. sed forte contrariam, Henricquez lib. 11. cap. 8. num. 4. Maldonatus in cap. 19. Matth. versu 9. Cornelius in cap. Deuteronomij citatum, versu 1. qui plures refert.

Hæc sententia videtur verior.

Probat 1. si repudiata alteri nupisset, qui similiter eam dimitteret, vel noderetur, non poterat à priori marito in uxorem recipi, ut patet ex versu 4. ergo signum est prius matrimonium fuisse solum: nam aliquin potius fuisset consulendus relictus, nec fuisset à priore marito reiicienda, nec occasione ei data fuisset adulterandi licentia.

2. Ex eodem versu 4. colligi potest, quod liceret dimissæ aliud matrimonium etiam viuo marito qui eam dimiserat, inire: nam dicitur: *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, quibus verbis videtur doceri secundam coniunctionem fuisse licitam: si enim fuisset illicita, mulier alteri copulata fuisset adultera, & proinde iuxta legis præscriptum Levit. 20. versu 10. lapidanda, cuius tamen contrarium in nostro casu indicatur, ut patet ex verbis citatis, & ex eo quod additur: Non poteris prior maritus recipere eam in uxorem.*

3. Si matrimonium per libellum repudij non fuisset solum, conditio mulieris fuisset valde iniqua: namuis enim iuxta hanc legem non liceret uxorem dimittere quacumque ex causâ, interdum tamen dimitti poterat sine sua culpâ.

Ex his ergo videtur colligi non tantum Iudæis fuisse permittum libellum repudij, tanquam minus malum ad grauiora mala vitanda, seu non punnitum, sed fuisse posituè concessum, ut illum ex causâ dare possent cum solutione vinculi matrimonialis.



monialis, & ita ut dimissæ liceret ad alias nuptias transire, immò verisimile est quod exemplo Iudæorum id alijs gentibus fuerit tacite permis- sum.

Id autem factum est non propriè dispensando in lege naturæ, sed Deo tanquam supremo Domino omnis iuris creatura tollente ius ab ipsis contrahentibus, seu concedente, ut vir posset dimittere uxorem cum sublatione iuris, & domi- nij quod mulier habebat in corpus viri, quo di- mittente simul auferretur ius viri in corpus mu- lieris: quemadmodum enim tanquam supremus Dominus iuris ipsius fœminæ potuit concedere, ut vir per contractum maritalem acquireret per- fectum dominium corporis fœminæ in ordine ad generationem, fœminæ tantum tradens partiale, & hac ratione faciendo, ut vnus vir simul plures uxores habere posset, ita ex eadem supremâ pote- state potuit subtrahere ius ab utroque coniuge quod hæcenus in se inuicem habuerant, & face- re ut matrimoniale vinculum solueretur viro ux- orem dimittente, non obstantibus quibusdam in- commodis, quæ suadent quidem cõtrahentes non posse suâ autoritate matrimonium soluere; non tamen ostendunt Deum id non posse modo à no- bis explicato. neque tamen ex eo quod Deus ita possit vinculum matrimonij soluere, ostenditur illud non esse naturâ suâ insolubile: quia eo non obstante præueniendo omnem posituam Dei constitutionem de matrimonij insolubilitate, illud est insolubile.

Petes, quâ ex causâ liceret uxorem repudiare? Tertull. censet licuisse ob solam fornicationem, quam censet designari per fœditatem.

Alij communiter tenent pluribus alijs de causis licuisse, quia mulier adultera secundum legem de- bebatur lapidari: cum tamen cap. 24. citato indicetur dimissam potuisse alteri nubere.

Præterea quæstio à Iudæis facta Christo Domi- no Matth. 19. supponit uxorem aliâ de causâ di- mitti potuisse, quam ob fornicationem. Licuit ergo ex pluribus causis dimittere, verbi gratia pro- pter lepram, sterilitatem, veneficium, lites perpetuas, mores incorrigibiles, non licebat tamen pro solâ voluntate, vel propter solum odium dimit- tere, quod indicatur Deut. 22. & confirmari po- test ex cap. 2. Malachiz, *cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel. operiet autem iniquitas ve- stimentum eius, dicit Dominus Deus exercituum*, quasi dicat: si odio habueris uxorem, ed quod non sit satis pulchra, & propterea dimiseris eam, pecca- bis, cuius peccati pœna à Deo in corpus tuum de- riuabitur. nam Propheta arguit Iudæos, qui alle- cti pulchritudine gentilium eas accipiebant in uxores, dimissis vxoribus gentis suæ, dicens: *uxo- rem adolescentiæ tuæ noli despiciere, scilicet eam di- mittendo: deinde subdit: cum odio habueris &c. qua- si dicat: si propterea quod tibi minus pulchra vi- deatur, eam dimiseris peccabis.*

Ceremoniæ, & forma in libello repudij dando seruari solita videri possunt apud Maldonatum & Corneliolum locis citatis.

Aduerte in lege Euangelicâ non esse licitum dare libellum repudij sine baptizatis, siue non ba- ptizatis, Christo reuocante matrimonium ad pri- mam suam firmitatem, Matth. 19.

Obiicitur 1. Deut. 24. citato dicitur: *cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de do- mo suâ, vel coram mortuus fuerit, non poterit prior mari-*

*tus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abomi- nabilis facta est coram Domino.* quibus verbis designa- tur eam peccasse in secundâ coniunctione, & quod videtur consequens, prius matrimonium non fuisse solutum.

Resp. neg. id designari; quia scriptura solum vult non licere viro eam iteratò recipere in ux- orem, & si recipiat, grauiter peccare. quem sen- sum optimè declarant Hebræi, quæ ita verti pos- sunt: prior maritus non poterit eam recipere, postquam polluta est, (scilicet fœmine alterius viri, à quo est cognita) quia abominatio hoc est coram Domino, id est, quia abominabilis est huiusmodi reditus ad maritum, qui eam repu- diauit, & est à Deo vetitus; potest etiam secun- dum nostram versionem res ita explicari: prior maritus non poterit eam recipere, quia respectu illius abominabilis facta est, idque coram Do- mino. nam scribendo libellum repudij eam cen- suit sibi abominabilem, idque publicè, & coram Domino, & indignum se reddidit, qui eam reci- peret.

Huiusmodi autem reditus ad priorem mari- tum vetitus est, ut virorum leuitati occurreretur: maiori enim cum circumspectione uxores dimit- tebant, scientes se non posse amplius eas recipere, si fortè postmodum alteri coniunctæ fuis- sent.

Obiicitur 2. quod ex Malachiz 2. attulimus: verum ex dictis constat non indicari per repu- dium secundum legem factum coniugale vincu- lum non solui, sed solum reprehendi eos, qui abs- que iustâ causâ uxores dimittebant, quod satis patet ex Hebræo, ex quo constat illud: *operiet au- tem iniquitas vestimentum eius*, non referri ad mu- lierem dimissam, si alteri nubat, sed ad virum ex solo odio sine causâ uxorem dimittente: nam affixum in Hebræo est masculini generis, & refert virum.

Obiicitur 3. quod Matth. 19. Christus dicat, Moysen ad duriciam cordis Iudæorum permis- sisse repudium, seu dari libellum repudij, ergo per illud matrimonium non soluebatur.

Resp. neg. consequentiam. quamvis enim du- ritia Iudæorum fuerit occasio permissionis; ea tamen fuit positua concessio, per quam repudium est redditum licitum, quodque matrimonium solueret.

Obiicitur 4. August. lib. de debito coniugali cap. 8. agens de repudio à gentibus vsurpari soli- to dicit: *cui consuetudini simile aliquid propter Israelita- rum duriciam videtur permisisse Moyses de libello re- pudij. quâ in re exprobratio diuorij magis apparet, quàm approbatio*, ergo iuxta August. fuit nuda permissio, per quam solum non puniebatur repudium vxor- is.

Resp. neg. consequentiam, nam illud, *exprobratio diuorij magis apparet, quàm approbatio*, non necessariò refertur ad tempus subsequens diuinam permissio- nem declaratam per Moysen, sed respicit causam, nimirum duriciam Iudæorum, quasi dicat: non tam Iudæis est permillum dare libellum repudij, ex eo quod res per se Deo placeret, quàm in illorum op- probrium, scilicet propter illorum duriciam, ita ta- men ut per concessionem id fuerit licitum.

Resp.

Cur in lege veteri vetitus reditus ad priorem maritum.

19. Obiectio 2. ex Malach. 2. Resp.

20. Obiectio 3. ex Matth. 19. Resp.

21. Resp.

Obiectio 4. ex August.

Resp.



## D V B I V M IV.

*Utrum matrimonium contractum in infidelitate solui possit in lege Evangelicâ, si unus conueriatur, & baptismum suscipiat altero nolente conuertere?*

22.

Resp. affir.  
1. Cor. 7.

**R**ESPONDEO solui posse. ita communiter Doctores, qui id colligunt ex Apostolo 1. ad Cor. 7. dicente: *quod si infidelis discedit, discedas non enim seruituti subiectus es frater, aut soror in huiusmodi.* ubi Christiano (qui per fratrem, aut sororem intelligitur) datur facultas aliud matrimonium ineundi, quod designatur per illa verba: *non enim seruituti subiectus es*, id est, non ita subijcitur legi, & vinculo prioris matrimonij, ut illud nullâ ratione solui possit, si infidelis nolit cum illo habitare, vel (prout omnes subintelligunt) non velit cohabitare sine iniuriâ, & contumeliâ Creatoris, verbi gratia nomen Christi, vel religionem Christianam blasphemando, vel compartem à fide susceptâ volendo abducere. ita tradit Eutychianus Papa apud Gratianum 28. quaest. 1. can. *si quis gentilis*, ubi dicitur: *Si quis gentilis gentilem uxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate eius erit eam habere vel non habere.* & can. *simili modo*, dicitur: *simili modo si unus ex coniugatis baptizatus est, & alter gentilis, & sequi non vult, sicut dicit Apostolus, infidelis, si discedat.* Idem habet Gregorius eadem causâ quaest. 2. can. *si infidelis.* Idem apertè tradit Innocentius 3. cap. *quanto*, & cap. *gaudemus*, de diuortijs.

Eutychian.  
PP.  
Can. *Si quis gentilis.*Can. *simili modo.*  
Can. *si infidelis.*  
Cap. *quarto.*  
Cap. *Gaudemus.*  
Ratio resolutionis.

Omissis variis rationibus res referenda est in dispensationem, per quam concessum est, ut in gratiam fidei Christianae susceptae prius matrimonium etiam legitimum, in infidelitate tamen contractum, solui possit ab eo, qui baptismum suscepit, Deo tanquam supremo Domino ius tollente à parte infideli. ubi

23.

Notandum 1. hanc facultatem solum concedi quando matrimonium est celebratum à non baptizatis, ut satis patet ex cap. *quanto*, citato, & ex communi sensu Ecclesiae: si enim duo baptizati in eandem matrimonium, quorum alter postmodum in haeresim, vel etiam gentilismum labatur, matrimonium non aliter potest solui, quam matrimonium ratum fidelium.

24.

Notandum 2. matrimonium contractum à non baptizatis non solui per nudam susceptionem baptismi partis conuersae, etiam infideli comparte nolente illi cohabitare, vel saltem nolente sine contumeliâ Creatoris, sed solum quando ipsa conuersa aliud init matrimonium. unde si pars infidelis baptizetur, antequam prior reipsa fuerit matrimonio cum aliâ copulata, matrimonium sortitur insolubilitatem matrimonij rati fidelium, nec aliter solui potest, quam matrimonium ratum. quod si aliud matrimonium inaeatur, antequam comparis conuertatur, prius contractum in infidelitate, soluitur, & parti infideli licet ad alias nuptias transire. haec omnia patent ex cap. *gaudemus*, citato.

Cum verò matrimonium contractum, & consummatum in infidelitate non fortitur maiorem insolubilitatem per baptismum vtriusque, quam matrimonium ratum fidelium, quibus casibus matrimonium ratum solui potest, etiam poterit

solui matrimonium infidelium suscepto baptismum ab utroque.

Ex quo deduci potest, quod cum matrimonium ratum fidelium soluitur per solemnem professionem in religione approbatâ, per eandem solui possit matrimonium contractum in infidelitate, si videlicet pars conuersa profiteatur, alterâ in infidelitate permanente, cum id fieret etiam illâ baptizatâ.

Quod si nec aliud matrimonium reipsa inaeatur, nec profiteatur, matrimonium non soluitur. unde si fidelis velit vitam cœlibem extra religionem ducere, immò si sacris ordinibus initietur, infidelis non potest ad alias nuptias conuolare, cum potestas matrimonium soluendi non concedatur infideli, sed tantum fidei casibus à nobis recensitis.

Dices can. *si infidelis*, citato dicitur: *contumelia quippe Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* ita Richardus dist. 39. art. 2. quaest. 2. existimans matrimonium dissolui antequam nouum inaeatur, quod etiam tenent quidam alij. si enim non prius soluitur, non potest aliud validè inire. Sed communis Doctores contrarium sentiunt, scilicet solum solui per actum celebrationem alterius matrimonij, vel professionem, cum etiam fateantur Richardo fidelis non possit aliud matrimonium inire, si pars infidelis baptizetur, antequam reipsa prius matrimonium inierit. itaque ad can. Resp. non eo ipso solui, sed ita dici, quod ius tribuat soluendi per realem celebrationem matrimonij cum aliâ, vel per professionem. Ad rationem Richardi Resp. posterius matrimonium non perfici remanente priori vinculo, sed eodem instanti, quo completur secundus contractus definire prius vinculum.

Contra resolutionem Obijciatur 1. quod Deus coniungat, homo non sepat, Mat. 19.

Resp. nihil inde confici, quia, ut patet ex antecedentibus, & consequentibus, & ex occasione, ex qua id dixit Christus, per praedictam sententiam potissimum voluit reuocare potestatem dandi libellum repudij, non adimens sibi potestatem ex causa concedendi facultatem soluendi matrimonium, quam facultatem in gratiam fidei, & religionis Christianae concessit ipse Apostolo loco citato, simili modo dicendum ad id, quod cap. cit. Mat. dicitur: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur: intelligitur enim secluso privilegio à Christo concessio.*

Obijciatur 2. quod matrimonium non soluitur propter haeresim.

Respondent aliqui matrimonia à baptizatis celebrata esse Sacramenta, quæ ratio adfert nouum modum insolubilitatis, quo carent matrimonia contracta in infidelitate, & ita non esse similem vtriusque rationem, quæ responsio licet non contemnenda, non videtur omnino satisfacere. pro quo

Suppono matrimonium baptizatis contractum solui non posse quoad vinculum, quamuis alter eorum in haeresim incidat, vel etiam in atheismum, nolitque cohabitare compari sine Creatoris iniuriâ. quod patet ex Trid. sess. 24. can. 5. Aug. lib. 1. de nuptiis & concupiscentiâ, cap. 10. & alibi, & ex ipso totius Ecclesiae sensu. quo supposito ratio assignata non videtur sarere difficultate, cum non sit ita certum omnem matrimoniale contractum inter baptizatos initum esse Sacramentum.

Add.



Resp. Auct.

Adde quod non obstante ratione Sacramenti matrimonium inter fideles non consummatum solui possit. quare videtur simpliciter posse dici, quod cum matrimonium sit natura sua insolubile, tantum solui possit ex diuina concessione, quibus ergo casibus ex principiis fidei, vel alijs Theologicis non apparet Deum concessisse, ut aliquod matrimonium solui possit, dicendum id nullo modo posse, in casu vero hæresis, vel apostasie a fide non apparere de tali concessione in genere facta parti innocenti, patet tum ex sensu Ecclesiæ, & perpetua traditione, tum quod Apostolus, ex quo id videretur colligi, manifestè loquatur de matrimonio infidelis non baptizati cum eo qui post matrimonium contractum ad fidem est conuersus.

29.

Obiectio 3.

Obijciunt 3. quod Apostolus loco citato ad Cor. recenseat præceptum Domini, quod vxor iubetur à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & quo iubetur vir vxorem non dimittere.

Resp.

Resp. in eà sententiâ loquitur de coniugibus baptizatis docens eorum matrimonium non posse dissolui propter discolors mores vnius partis, postmodum peculiariter agens de coniugibus disparis cultus, quorum matrimonium fuit in infidelitate contractum, quod tradit interdum posse dissolui.

30.

Obiectio 4.

Obijciunt 4. Ambrosi. lib. 8. in Lucam in cap. 16. eiusdem: quod si infidelis discedit, discedat, simul idem Apostolus negant legem esse diuinam, ut coniugium qualecunque soluitur, nec ipse præcepit, nec dedit deferendi auctoritatem, sed culpam abstulit destituit.

Resp.

Resp. hoc loco satis obscuro Ambrosi. solum velle, quod secundum Apostolum non liceat fidei compartem infidelem pro arbitrio deserere, sed tum demum culpam vacare, si ipse destituatur, eò quod scilicet compars nolit illi cohabitare, vel saltem nolit sine contumeliâ Creatoris, quo casu fidelis discedens non tam deserit, quam censetur deserere. cæterum eo casu posse solui matrimonium satis indicat dicens culpam abstulit destituito, si videlicet secundum Apostolum aliud ineat matrimonium.

Replica

Dices, Ambrosi. ait: simul idem Apostolus negant legem esse diuinam, ut coniugium qualecunque soluitur.

Resp.

Resp. Ambrosi. non refert illa verba ad matrimonium infidelium, quorum vnus ad fidem conuertitur, sed ad matrimonium fidelium, de quibus præmiserat Apostolus, quod scilicet fidelibus qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere &c. quasi dicat Ambrosius: Apostolus simul docuit matrimonium fidelium esse insolubile, & addidit de matrimonio in infidelitate contracto: si infidelis discedit, discedat, non præcipiens fidei dimittere compartem infidelem, neque tribuens deferendi auctoritatem, sed à relicto auferens culpam, si alteri iungatur.

## D V B I V M V.

Utrum matrimonium solui possit, si compars infidelis parata sit cohabitare conuersæ?

31.

Communis opinio DD.

Doctores passim censent matrimonium solui posse si infidelis etiam monitus noli

cohabitare fidei compari, 2. si nolit cohabitare sine contumeliâ Creatoris, renocando conuersum à religionē Christianā, vel eam religionem blasphemando, ad quod non sufficit vna vel altera blasphemia, sed videtur requiri studium aliquo modo permanens obtrudendi religioni Christianæ, 3. si conetur compartem ad mortale pertrahere, ita ut sit morale lapsus periculum. quæ patent ex cap. quanto, & cap. gaudemus citato.

Controvertitur verò, num liceat fidei deserere infidelem, & aliud matrimonium validè inire, si pars permanens in infidelitate velit cohabitare compari sine contumeliâ Creatoris &c.

Duplex est hac de re sententia.

Prior asserit etiam in eo euentu vinculum matrimoniale posse dissolui. ita Sotus dist. 3. quæstione vnicâ art. 4. §. est tamen, Bellarm. lib. de matrimonio cap. 12. §. sed neque, & plures, quos citat & sequitur Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 74. num. 9.

Posterior negat. ita S. Thomas in 4. distinct. 39. quæst. vnicâ art. 5. in Corpore, Richard. art. 2. quæst. 2. Durand. quæst. 2. art. 2. Ruardus art. 18. §. quod matrimonium inter infideles, & plurimi alij.

Dico 1. quantum est ex constitutione Apostoli non licet homini conuerso, qui in infidelitate contraxit, compartem infidelem paratam cohabitare sine iniuriâ Creatoris &c. dimittere, aliud matrimonium ineundo.

Probat, Apostolus solum tribuit hanc potestatem, vel declarat ex Dei concessione conuenire, si infidelis discedit, sub quo Doctores comprehendunt duos alios casus à nobis positos, ergo extra illos casus non licet conuerso matrimonium prius dissoluere aliud ineundo.

Probat 2. ex Patribus Ambrosi. citato dub. præcedenti dicente: nec ipse præcepit, nec dedit deferendi auctoritatem, sed culpam abstulit destituito. quibus verbis indicat conuersum non posse pro arbitrio infidelem dimittere, & aliud matrimonium inire, sed cum relinquatur, vel (quod priori censetur æquale) quando pars non vult cohabitare sine iniuriâ Creatoris, vel quando pertrahit conuersum ad peccatum. Gregorio can. si infidelis 28. quæst. 2. indicante solam causam ab Apostolo positam tribuere facultatem conuerso ad matrimonium ineundi.

Probat 3. ex cap. quanto, de diuortijs, vbi Innocentius 3. dicit: si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel totum eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquatur, ad secundam, si voluerit, vota transibit, quod repetit cap. gaudemus, citato, ergo sentit secundum Apostolum non licere aliàs dimittere vxorem etiam in infidelitate remanentem.

Dico 2. non est etiam lex Ecclesiastica, per quam vniuersaliter iubeatur fidelis deserere infidelem paratam ei cohabitare modo supra explicato.

Probat 1. ex cap. quanto, & gaudemus citatis, ex quibus cognoscimus non tantum secundum Apostolum, sed etiam secundum constitutionem Ecclesiæ non licere aliàs de causâ vxorem infidelem relinquere, & ad alias nuptias conuolare.

2. Authores prioris sententiæ potissimum nuntuntur can. Iudei, & can. super Iudeorum, 28. quæst. 1.

L I I I 2

in qui-

Controver-

32. Prior sententia. Sotus. Bellarm.

Sanchez.

Posterior negat. D. Thom. Richard. Durand. Ruard.

33. Conclusio.

Prob. 1.

Prob. 2. ex PP. Ambrosi.

Gregor.

Prob. 3.

Cap. Gaudemus.

34. Conclusio.

Prob.

Can. Iudei. Can. super Iudeorum.



in quibus id videtur disponi, sed hi canones sunt Concilij particularis, scilicet 4. Toletani, 2. non respiciunt omnes infideles, sed Iudæos, à quibus vtpote peruersissimis, & in suâ sedâ pertinacissimis morale peruersionis periculum potest imminere, & proinde, si moniti nolint ad fidem conuerteri, merito potuit etiam coniugibus eorum confortium interdici.

35.

Obiectio  
ex 1. Cor. 7.

Contra priorem conclusionem facit Apostolus 1. ad Cor. 7. dicens: *nam ceteris dico ego, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem; & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: vbi solum videtur hortari, vt fidelis non dimittat infidelem paratam ei cohabitare sine iniuriâ Creatoris, innuens posse dimittere, & aliud matrimonium inire.*

Resp.

Resp. varias esse huius loci interpretationes, maximè solida est, quod ea verba; *nam ceteris dico ego, non Dominus*, non referantur ad immediatè subsequentia, sed ad præcedentia, scilicet ad verbum 8. *dico autem non nuptis & viduis bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*; nam postquam hortatus fuisset ad continentiam, interponit præceptum Domini respectu coniugatorum, vt scilicet vxor à viro non discedat &c. tum regrediens ad virgines, & viduas dicit eas bene faciuras, si contineant, ad quod tamen non tenentur ex Dei præcepto, iuxta quod versu 25. de virginibus dicit: *de virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, secundum quam expositionem constat non posse solidum ex Apostolo sumi pro priori sententiâ argumentum, quia quod sequitur: si quis frater uxorem habet infidelem &c. (quod secundum editionem Romanam distinguitur puncto à præcedenti sententiâ) optime potest esse præcepti, possumusque explicare, quod postquam agendo de coniugatis breuiter suum consilium interseruit de virginibus, & viduis, rursus regreditur Apostolus ad coniugatos, eosque disparis cultus, de quibus dicit; si compars infidelis parata sit remanere cum fidele absque contumelia Creatoris, fidelis eam non dimittat propter salutem prolium, & coniugis infidelis: si tamen discedit infidelis, discedat &c. fidelis non est subiectus legi matrimoniali, sed liberè potest aliud matrimonium inire.*

36.

Replica ex  
August.

Contra: August. lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 13. ita interpretatur Apostoli sententiam vt hæc verba, *nam ceteris dico &c.* referantur ad immediatè sequentia, & solum contineat consilium non dimittendi uxorem, quæ alioquin soluto vinculo coniugali dimitti posset, quod patet ex fine capitis; idem tradit pluribus aliis locis.

Resp.

Resp. eam expositionem esse minùs conformem textui. & certè ipsemet August. lib. 2. tractationum cap. 37. fatetur se in libris de adulterinis coniugis conatum fuisse dissolvere quæstionem difficillimam, nescire tamen vtrum enodatissimè fecerit, immò sentire se non peruenisse ad huius rei perfectionem, quamvis multos eius sinus aperuerit, vnde planè agnoscit suam de matrimonio disputationem non fuisse satis exactam.

37.

Petitio 1.

Pares 1. an saltem fidelis in eo casu possit nolle cohabitare infideli?

Resp. communis affir.  
probabilis.  
Negatiua  
consultior.

Affirmant communius Doctores, S. Th. Rich. Durand. suprà, & alij, quod non est improbabile: vbi tamen nullum est periculum, consultius est se non separare, vt hac ratione facilius paretur via

ad conuersionem comparsis infidelis, & vt infideles minùs odium concipiant religionis Christianæ.

Addè fidelem non posse separari, antequam partem mouerit, vt conuertatur.

Pares 2. an si in aliquo loco sit lex particularis, vt fidelis non possit cohabitare infideli etiam volenti illi adhærere sine iniuriâ Creatoris, possit conuersus aliud matrimonium inire?

Resp. posse, quia posito quod non possit illi cohabitare, iam ex concessione diuinâ per Apostolum declarata potest alteri coniungi: posita enim tali constitutione, si compars nolit conuerteri, perinde se habet ac si nolle cohabitare sine iniuriâ Creatoris, & conuersus non potest illi adhærere sine graui peccato.

Ex dictis deducitur eum, qui ante baptismum plures uxores accepit, non posse post conuersionem retinere quamcumque voluerit, sed debere adhærere primæ, si parata sit illi cohabitare sine iniuriâ Creatoris. quia ea sola est legitima vxor, quam non potest eo euentu quoad vinculum dimittere. quod clarè decernitur cap. *gaudemus*, citato, ex quo nostræ conclusiones possunt confirmari. quod si illa monita nolit cohabitare conuerso, potest is quamcumque voluerit ex aliis sibi in uxorem accipere, cum nulla ex eis fuerit vxor legitima.

Quod vero dicitur: *si ea nolit cohabitare*, videtur intelligendum, nisi aliunde habeat iustum separationis titulum: si enim virum reliquerit propter adulterium antea commissum, & non condonatum, vir non videtur posse aliam ducere, si militer non videtur posse aliam ducere sine dispensatione, si fortè valde distet à comparte infideli, quæ non sciatur nolle ei cohabitare: nam eo casu quod fidelis non possit cohabitare infideli non oritur ex vitio infidelis, sed planè per accidens propter locorum distantiam, vt verbi gratia, quia fidelis est deportatus ad terras Christianorum.

Nec contra facit motus proprius Pij 5. citatus à Sanchez disput. citatâ, num. 13. quod videtur decreuisse Indos conuersos, qui secundas nuptias contraxerant, non debere separari, si nescirent priores coniuges esse superstitēs, nec possent inuenire: quia dici potest Pontificem per hoc voluisse cum illis dispensare, quia motus videtur per aliud breue Gregorij 13. declarari, in quo non dicitur, quod possint ad secundas nuptias transire &c. sed quod possint cum illis dispensari, vt aliud matrimonium inean. Breue videri potest apud Rebellium 2. parte, de obligationibus iustitiæ lib. 3. quæst. 10. sect. 2. conclus. 4. Paulus 5. concessit patri Nicolao Trigault, vt conuersi possint cum vnâ uxore, quam elegerint, matrimonium contrahere, quæ concessio absolutè facta non requirit, vt ignoretur, vel non possit moneri ea, cum quâ matrimonium in infidelitate erat legitime contractum. ita mihi significauit 3. Martij anno 1617.



## D V B I V M VI.

*Verum matrimonium inter Christianos  
nondum consummatum solui p. s. quod  
ad vinculum per solemnem professio-  
nem in religione approbatâ?*

**R**ESP. affirmativè, est de fide definitum à Trident. sess. 24. can. 6. in hæc verba: *si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dissolvi, anathema sit.* decernitur etiam cap. *verum*, quod est Alexandri 3. de conversione conjugatorum; ubi ex textu clarum est agi de matrimonio rato, non verò de sponsalibus, decernitur similiter ab eodem Alexandro cap. *ex publico*, eodem titulo, ubi similiter sermo est de vxore, quia dicitur: *ad virum suum redire &c.* quod non solet dici de sponsa de futuro, similiter cap. *ex parte*, 2. quod est Innocentij 3. eodem titulo.

Confir. exemplis sanctorum, qui intactâ comparte vitam cœlebem perpetuò duxerunt, quod indicat Alexander 3. cap. *verum*, citato, vt sancti Alexij, de quo breuiarium Romanum 17. Iulij, duorum militum, de quibus Aug. lib. 8. confessionum cap. 6. qui lectâ vitâ sancti Antonij vitam monasticam susceperunt, sanctæ Teclæ, quam teste sancto Ambrosio lib. 2. de virginibus Apostolus ante consummationem à nuptiis reuocauit.

Porro ex cap. *ex parte*, citato, manifestè patet matrimonium nō solui, si quis solum voucat continentiam in sæculo etiam in manibus Episcopi, quamuis olim tale votum videretur matrimonium soluere, cum sit verisimile plures sanctas virgines, quæ referuntur, non aliter continentiam vouisse.

Patet etiam compartem remanere liberam à vinculo matrimoniali, & posse, si velit, ad secundas nuptias transire, quod etiam indicatur cap. *verum*, citato. cum verò vinculum soluitur, prædictæ personæ non possunt se mutuò carnaliter cognoscere sine nouo legitimo consensu, & si cognoscant, non minus peccant, quam alij, inter quos nullus vnquam contractus matrimonialis intercessit, vnde si is, qui post matrimonium ratum emisit professionem in religione approbatâ ex dispensatione Pontificis absolutus à votis rediret ad sæculum, non posset sine nouo maritali contractu carnaliter cognoscere eam, cum quâ ante religionis ingressum iunctus fuerat, possetque eâ neglectâ aliam in vxorem accipere.

Petetur, an requiratur professio, an verò sufficiat nouitium inchoasse? ratio dubitandi petitur ex cap. citatis, nam cap. *verum*, dicitur: *post consensum legitimum de presenti licitum est alteri altero etiam repugnante eligere monasterium*, cap. *ex publico* dicitur: *eadem ad religionem transire voluerit*, cap. *ex parte*, dicitur, licere alteri *cum reliquo inconsulto* ad religionem transire, ita quòd reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, atqui eligere monasterium, transire ad religionem, non significat profiteri, sed suscipere habitum religionis, & nouitium inchoare.

Resp. requiri actuale professionem, vt cōmuniter Doctores, isque est sensus Ecclesiæ, quæ ingressum monasterij, & electionē intelligit per professionem, & cum effectu, vt patet ex Trid. suprà.

Confir. 1. nouitatus non constituit hominem in statu, & per illum homo non magis adstringitur Deo, vel religioni quàm ante, & si quis ex eo egrediatur, iubetur ad compartem redire.

Confir. 2. constat per vota simplicia post biennium in Societate emissâ, quibus homo verè, & propriè fit religiosus, non solui prius matrimonium ratum, immò nec solui per vota coadiutorum formatorum in eadem Societate, ergo multò minus dicendum est solui per solum nouitatum.

Ex dictis patet ad rationem dubitandi, quòd videlicet quamuis illi termini in vtraque significatione sumi possint: tamen in cap. *verum*, & cap. *ex parte*, sumantur strictè pro electione monasterij, pro transitu, ingressu, per realem professionem (de cap. *ex publico*, paulò post) quæ professio debet esse valida. vnde ex quocumque capite reddatur inualida, matrimonium non soluetur, vt si emittatur vi, vel metu graui in illum finem iniuste incusso, si emittatur ante annum 16. completum, iis locis, quibus Trident. est receptum, quia in his locis professio ante emissâ est inualida, & nullam omnino parit obligationem, ex quo patet compartem remanentem in sæculo posse interdum obligari penè quadriennium expectare, antequam ad alias nuptias transire possit, vt si fœmina statim post annum duodecimum hubat, & paulò post ingreditur religionem, cum non possit validè profiteri ante annum 16. completum iis locis quibus Trid. est receptum.

Oritur difficultas, an quando quis ante matrimonij consummationem vult statum religiosum capeßere, professio possit emitti ante annum probationis exactum, verbi gratia, intra bimestre. ita enim videtur decerni cap. *ex publico*, citato, ubi dicitur: *mandamus quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognouerit, & eadem ad religionem transire voluerit, receptâ ab eâ sufficienti cautione quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat* &c. cum ergo transitus ad religionem dicat susceptionem status religiosi per actuale professionem, sequitur professionem euentu intra bimestre validè emitti. & ita tenent varij, nec omnino improbabiler.

Sed probabilius videtur etiam eo euentu tempus præfixum professioni non debere anticipari, pro cuius rei notitiâ

Suppono quòd ad professionem etiam antiquo iure requiritur, vt annus probationis præcedat, intra quem nullus debeat admitti ad professionem, vt patet ex cap. *ad Apostolicam*, de regularibus, quod tempus probationis non tantum in fauorem conuersi conceditur, sed etiam in fauorem cōmunem religionis, vt scilicet illa possit nouitium commode probare.

Ex his probari potest responsio. quando certum tempus exigitur in fauorem vtriusque partis, non debet accelerari, eò quòd vni parti, vel etiam tertio sit commodum, licet ergo propter commoditatem partis relicte, vel etiam eius, quæ ingreditur religionem, dici posset tempus probationis accelerandum, nihilominus fauor religionis postulat, vt ea non teneatur tempus ordinari in hoc casu præuenire, cum inde incommoda non sanè leuia corpus religionis incurreret, si teneretur nouitium minus probatum ad professionem admittere.



Vnde dico quòd, etiam vbi Trid. non est receptum, possit annus expectari, antequam emittatur professio, si tamen ante illum expletum tacite, vel expresse emittatur, soluetur matrimonium. quia professio ex eo capite non redditur invalida, vbi Trid. non est receptum, vt patet ex cap. *ad Apostolicam*, citato, videri etiam potest cap. *vidua*, eodem titulo. si emitteretur ante annum exactum, vbi Trid. receptum est, matrimonium non solueretur, quia cap. 15. de regularibus sess. 25. professio anno non completo emissà redditur nulla, quod etiam in hoc casu videtur intelligendum.

Cap. *vidua*.  
Vi Trid.  
professio  
anno non  
completo  
emissà red-  
ditur nulla.

Responde-  
tur argu-  
mento in  
contrari.

Ad canonem in contrarium allatum Resp. non decerni, vt professio intra bimestre emittatur, sed quòd tempus duorum mensium illi præfigatur à iudice ad deliberandum de ingressu religionis, ita vt intra illud tempus à iudice præfixum pars, quæ religionem meditatur, teneatur saltem nouitiatum intrare. vnde transire ad religionem eo loco idem est quod fieri nouitium, quia ex alijs iuribus ita videtur necessariò explicandum.

47.

Petitio.

Negatiua  
suadetur.

Quamquam, vt dixi, non sit improbable, quòd in hoc casu professio possit licite, & valide præueniri, etiam vbi Trid. est receptum.

Petes 2. an pars, quæ religionem meditatur, possit eam ingredi quolibet tempore ante consummatum matrimonium? obitare enim videtur cap. *ex publico*, citatum.

Notandum posse saltem toto primo bimestri deliberare, atque adeo toto illo tempore absque vllà iniurià actum coniugalem comparti negare, vt possit religionem ingredi: quamvis enim id ex iure non clare colligatur; communis tamen Doctorum sententia ita ius interpretatur, Ecclesià tacite consentiente. vnde fit, vt primo bimestri non tantum possit negare actum coniugalem is, qui animo statuit religionem ingredi, vel de eà deliberat, sed etiam pars, quæ non deliberat. quia fieri potest vt interim animum mutet, vnde ne præcludatur aditus ad religionem si fortè mutato animo ad illam aspiraret, potest vti priuilegio iure sibi concessio: post bimestre tamen non potest parti petenti illum negare. hoc prænotato

48.

Resp. affir.

Cap. *verum*.Cap. *ex parte*.Soluitur  
ratio negati-  
uæ.

Respondeo coniuges posse religionem ingredi, & per professionem matrimonium soluere omni tempore ante matrimonij consummationem, quod indicatur cap. *verum*, citato, vbi absque vllà temporis restrictione conceditur facultas eligendi monasterium ante copulam carnalem. Idem etiam indicatur cap. *ex parte*, citato, immò elici potest ex cap. *ex publico*, citato, in quo Alexander Pontifex respondens quæstioni sibi factæ non ponderat vllum tempus, quo matrimonium fuit initum, sed solum, quòd nondum esset per copulam carnalem consummatum.

Ad idem cap. quatenus videtur huic resolutioni repugnare,

Resp. in eo non præfigi bimestre à celebrato contractu matrimonij, post quod non liceat amplius religionem ingredi, sed solum instrui iudicem circa casum ibi propositum, vt videlicet compellat eam, de qua illo cap. agitur, intra duos menses vel religionem ingredi, vel marito coniungi. vbi

Notandum quòd ne quidem ita præfigatur bimestre, vt iudex non possit maiorem, vel minorem terminum præfigere: nam quando terminus

præfigitur per iudicis ministerium, eius arbitrio relinquatur. vnde si quis per varias religiones vagaretur, in nullà proficendo, iudex posset ei locum præfigere, in quo teneatur intra certum tempus legitimum profiteri, vel ad coniugem redire.

Contra principalem resolutionem obicitur 1. Matth. 19. quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur, & qui dimissam duxerit, machatur, ergo matrimonium non soluitur per ingressum religionis.

Resp. neg. consequentiam, quia Christus eo loco matrimonium ad primam suam insolubilitatem reuocauit eo sensu, quòd sustulerit libellum repudij, seu potestatem repudiandi uxorem, prout Iudeis erat vsitatum: non tamen à se tanquam supremo domino abstulit potestatem vinculum soluendi modo in superioribus explicato, & explicando in sequentibus.

Obicitur 2. August. lib. de bono coniugali cap. 7. referens insolubilitatem matrimonij in rationem Sacramenti, similiter lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia; matrimonium autem fidelium fortitur rationem Sacramenti etiam ante consummationem. Verum præterquam quòd dici posset August. in hac de matrimonio disputatione fuisse perplexum, nec sibi vsque adeo satisfecisse, vt patet ex dictis,

Resp. locis citatis non negare matrimonium in casu nostræ quæstionis dissolui, cum lib. 8. confessionum citato contrarium innuat, sed solum velle in Dei Ecclesià sublatum vsum libelli repudij, seu viros non posse dato libello repudij uxores dimittere, & quòd etiam dimissà adulterà remaneat inter verumque verum matrimonium, quod quidem refert in Sacramentum, sed vsu-pato eo nomine in latiore significatione, prout idem est quod rei sacræ, & reconditæ signum.

Obicitur 3. quòd Sacramenti etiam rati maior sit firmitas, quam seruitutis, quæ tamen non soluitur per professionem in religione. pro huius argumenti explicatione, & ampliori rei examine

## D V B I V M VII.

Quo iure professio soluat vinculum matrimonij rati antea contracti?

Res sunt hac de re sententiæ.

Prima censet soluere iure naturæ, seu ex ipsa naturâ rei, vnâ traditione cedente alteri nobiliori, ita videtur sentire S. Thom. in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. in corpore, Richard. Rich. art. 2. quæst. 2. Durand. quæst. 2. Palud. quæst. 3. art. 3. Bell. lib. 2. de monachis cap. 38. & alij.

Secunda asserit id prouenire ex iure diuino, tenet Scotus distinct. 31. quæst. vnica §. tertio modo scilicet dici potest, Scotus distinct. 27. quæst. 1. artic. 4. conclus. 1. §. ad illud, Sanchez lib. 2. disp. 19. num. 3. qui plures citat.

Tertia docet fieri iure humano, scilicet Pontificio. pro qua Sanchez supra num. 2. citat Theologos, & Iurisperitos, quos etiam citat, & sequitur Lessius lib. 2. de iustitiâ cap. 41. dubit. 8. num. 69.

Dico 1. professio non videtur iure naturæ soluere matrimonium ratum.



**Prob.** Probatur, votum castitatis solemnne, & simplex non differunt naturā suā, ergo si simplex non soluat matrimonium ex suā naturā, neque soluet solemnne.

**Replica.** Dices non omne votum solemnne soluere, ut patet in voto annexo ordini sacro, sed hoc esse peculiare voto solemnne professionis in religione, quod continet perfectam sui traditionem.

**Diluitur.** Sed contra facit, quod votum simplex possit etiam continere perfectam traditionem sui, ut patet in voto, quo aliquis post biennium fit verē, & propriē religiosus in Societate: per hoc enim homo verē, & propriē se tradit, & mancipat diuino seruitio, sicut per professionem, & tamen non soluit matrimonium ratum, ut constat, ergo professione ex suā naturā non conuenit matrimonium ratum soluere ex eo quod contineat traditionem sui, quā aliquis diuino seruitio se mancipat. Non etiam id conuenit professioni, quod homo per illam constituitur in statu perfectionis, quia similiter potest constitui per votum simplex, ut patet in voto simplici, quo aliquis in Societate constituitur religiosus, quod tamen non irritat matrimonium ratum.

**Confir.** Confir. in professione solemnne inuenitur votū emissum Deo, & traditio, quā persona constituitur membrum corporis religiosi: ex neutro autem capite dici potest quod naturā suā soluat matrimonium ratum.

Minor pro priori parte probatur, in professione triplex votum est obedientiæ, paupertatis, castitatis, quoad obedientiam professio non habet peculiarem effectum, quem non habeat etiam votum simplex, quo aliquis constituitur religiosus, idem quoad paupertatem dicendum, nam quod solemniter professus sit incapax dominij, & hereditariæ successionis non oritur ex rei naturā, sed ex constitutione iuris humani, ergo non est quod asseramus ex rei naturā vim peculiarem habere quoad castitatem, quæ non competat simplici voto castitatis, sed quidquid est in eo discriminis commodē potest refundi in aliquod ius positium.

Eadem minor pro secundā parte probatur, quod aliquis se tradat tanquam membrum corporis politici, non soluit naturā suā prius vinculum ex matrimonio ortum, ut patet in voto simplici, quo aliquis constituitur religiosus in Societate, item ex eo quod huiusmodi traditio possit se compati cum vinculo matrimoniali, ut patet quando coniuges matrimonio consummato communi consensu intrant religionem.

**Replica altera.** Dices aliam esse rationem matrimonij rati & consummati.

**Soluitur.** Verum id non vrget argumentum, sed solum in genere, quod traditio per professionem in religione approbatā, per quam aliquis fit membrum corporis politici, seu religionis, se possit compati cum vinculo matrimoniali, ex quo deducitur quod non sit necesse asserere solemnem professionem naturā suā soluere vinculum coniugale, eo quod contineat traditionem, quā aliquis constituitur membrum corporis religiosi.

**Prob. 2.** Probatur 2. solemnne professio in religione non soluit ex rei naturā seruilem conditionem, cum tamen longē perfectiorem traditionem contineat, quā seruitus, ergo non est quod propter maiorem perfectionem traditionis dicamus eam naturā suā soluere traditionem per contractum matrimonij alteri factam.

**Confir.** perfectior traditio, quam aliquis intendat, non satis ostendit quod res sub alterius dominio constituta possit ex rei naturā ab illo tolli, ergo perfectior traditio, quæ inuenitur in professione religiosa, non arguit quod illa ex rei naturā soluat vinculum coniugale, & quod ratione illius ex rei naturā auferatur ab aliquo dominio per matrimonium in compatem acquisitionem.

**Prob. 3.** Probatur 3. si matrimonium ex rei naturā solueretur per subsequentem professionem, non esset dicendum ex rei naturā insolubile.

Dices, professio continet mortem spiritua-lem, ergo ex rei naturā soluet matrimonium ratum, quod solum habet vinculum spirituale.

**Resp. neg.** consequentiam quia eandem mortem continent vota simplicia, quibus aliquis constituitur religiosus, quæ tamen mors non soluit matrimonium ratum.

Adde matrimonium ratum continere traditionem corporalem, & dominium corporum, & non solum dicere aliquid merē spirituale ad sensum argumenti.

**Conclus. 2.** Dico 2. verius est, quod professio non soluat matrimonium ratum immediatē iure diuino, & ex Christi privilegio immediatē concessio professioni, sed quod id fiat iure Pontificio. prior pars probatur, si professio iure diuino matrimonium solueret, & immediatē ex diuinā concessione, dicendum esset id factum Christo hoc privilegium professioni concedente, quia homo per illam suscipit statum perfectionis, & quia continet perfectam sui traditionem, atque adeo quod id à Deo esset concessum in gratiam, & fauorem status religiosi: hæc autem omnia etiam possent aptari votis simplicibus in Societate, per quæ aliquis constituitur religiosus, & suscipit statum perfectionis: quæ tamen constat non soluere matrimonium, ergo videtur verius, quod solemnne professio non soluat matrimonium iure diuino.

**Prob. 2.** 2. Pontifices agnoscunt in se potestatem matrimonium grauib. de causis solvendi, ut patet ex breui Gregorij 13. & ex Paulo 5. in fine dubij 5. citatis, ubi non solum declarant matrimonium in casibus à se positis iure diuino solui, sed auctoritativē dispensant, ut solui possit, cum ergo neque ex scripturā constet professioni iure diuino id concessum, neque constet ex sensu Ecclesiæ, neque etiam ratio Theologica vrgeat, ad id asserendum, verius est eam matrimonij dissolutionem iure Ecclesiastico fieri, ex quo probata manet posterior pars conclusionis.

**Obiicitur 1.** Matth. 19. dicitur: quod Deus coniunxit, homo non separat, ergo matrimonium non potest humanā potestate dissolui, & proinde iure diuino competit professioni matrimonium ratum soluere. Ad antecedens.

**Resp.** Christum eo loco non velle negare futuram in Ecclesiā potestatem matrimonia solvendi ex diuinā concessione, sed tantū velle non posse solui per libellum repudij, ut aliquoties dictum est. vnde nego consequentiam & dico matrimonium posse per humanam potestatem tanquam Christi vicariam, & facultate ab eo acceptā dissolui, non verō posse ab homine auctoritate, & potestate sibi connaturali.

Notandum ergo quod quia ad bonam gubernationem Ecclesiæ plurimum conducit matrimonium ratum quibuldam casibus solui, Christus videatur eidem hanc potestatem communivisse,

ex quā



ex qua potestate Ecclesia videtur matrimonium soluere per professionem in religione approbatam emissam, immo olim per vitam eremiticam, & votum castitatis in manibus Episcopi emissum, ex quibus

Confir. cō-  
clusio.

Confirmari potest conclusio: quod enim illa olim matrimonium soluerent, iam verò non soluant, argumentum est hanc dissolutionem humano iure fieri.

57.  
Obiectio 2.

Obicitur 2. quod professio iam ab initio Ecclesie matrimonium ratum solueret.

Resp.

Resp. multa in Ecclesia iam ab initio inueniri, quæ tamen non sunt iuris diuini, vt ieiunium quadagesimale, item quod bigami non admittantur ad ordines, & proinde non sequitur professionem iure diuino matrimonium soluere.

Ex his patet responsio ad 3. obiectionem præcedenti dubio positam.

Dico enim quod cum professio non habeat ex re naturam vim matrimonium ratum soluendi, sed solum ex iure diuino, vel humano hoc privilegium professioni concedente, non sequi professionem non soluere matrimonium, si seruius non soluat.

#### D V B I V M VIII.

*An matrimonium ratum aliâ ex causâ solui possit per Pontificem?*

58.

D V P L E X est hac de re sententia.

Prior sent.  
negat.  
Scot.  
Palud.  
Sor.  
Ledesma.

Prior negat. Scotus dist. 31. quæst. 3. art. 3. Scotus quæst. 1. art. 4. §. *his tamen non obstantibus*. Viêt. de matrimonio num. 281. Petrus Ledesma quæst. 67. de matrimonio art. 2. dub. 1. conclus. 2. & plures alij citati à Sanchez lib. 2. disp. 14. num. 1.

Posterior  
affirm.  
Antonin.  
Caiet.

Posterior affirmat. S. Antoninus 3. parte titulo 1. cap. 21. §. 3. in fine referens matrimonium 5. & Eugenium 4. dispensasse in matrimonio rato. Caiet. tomo 1. opusculorum tractat. 28. de matrimonio quæst. vnica §. *quoad secundum*. Angelus verbo *matrimonium*, 3. impedimento 13. num. 3. Fumus verbo, *dispensatio* num. 3. Nauarr. cap. 22. num. 21. Bellarm. lib. 2. de monachis cap. 38. in fine, Sanchez supra num. 2. qui plurimos citat, Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 8. num. 69. in 3. sententia, & plures alij.

59.  
Posterior  
præfertur.  
Prob. 1.  
Nauarr.

Hac sententia videtur probabilior.

Probat 1. ex facto Pontificum. præter relatos ab Antonino supra, Nauarr. loco citato refert Paulum 3. & Pium 4. ter vel quater ex eius consilio dispensasse, vt quædam matrimonia omnino clandestina nondum consummata soluerentur in remedium animarum alioquin probabiliter periturarum, Gregorius 13. dicitur vno die cum vndecim dispensasse, refert Henriquez lib. 11. cap. 8. num. 11. in commentario littera F. atqui non est vllò modo verisimile Pontifices in re tantum momenti errare, cum eorum error graueret Ecclesie noceret, nam non solum esset in facto, sed redunderet in doctrinam Ecclesie perniciosam, quia suo facto implicite docent post matrimonium ratum coniuges posse à se inuicem separari sine iniuriâ, & sine graui irreuerentiâ erga Sacramentum.

Henric.

Confir. eorum error esset circa vnum ex præ-

cipuis capitibus religionis nostræ, qui sanè esset intolerabilis.

Dices errorem tantum esse speculativum, in quo excusantur, & quod sequantur probabilem variorum Doctorum sententiam.

Resp. id non satisfacere, cum etiam error speculativus in doctrinâ morum, vel in facto, ex quo sequeretur error in doctrinâ morum, & præsertim in Sacramentis, esset perniciosissimus Ecclesie.

Vnde dicendum Pontificem in hoc non solum excusari propter Doctorum auctoritatem, sed potius ex eo quod adhibito maturo examine id fecerit confirmari Doctorum sententiam.

Confirmatur propositio, nullus potest dubitare quin Dominus Deus non solum in fauorem religionis, sed etiam variis aliis de causis possit matrimonij vinculum soluere, nec potest merito dubitari quin possit hanc facultatem communicare Ecclesie, cum ergo nihil sit quod aperte contrarium euincat ex facto Pontificum omnino dicendum est eam communicasse ne alioquin Ecclesia ex eorum facto grauissimè deciperetur.

Dices, aliqui doctissimi & sanctissimi Pontifices huiusmodi dispensationes negarunt, existimantes se id non posse: Innocentius octauus, Adrianus sextus, Pius quintus, vt refert Ledesma supra.

Resp. tanquam priuatos Doctores ita respondisse, quibus hac in parte preualeat dispensatio ab aliis facta tanquam ab Ecclesie pastoribus: quod de Adriano sexto confirmat quod dicit Rebellus lib. 2. quæst. 15. sect. 3. num. 4. respondisse scilicet eum, se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse.

Probat 2. hæc potestas est maximè utilis pro bono animarum, & pene necessaria Ecclesie, ergo verius est Deum eam Ecclesie concessisse, qui in necessariis ei non deest.

Confir. pro bono animarum eidem dedit potestatem in voto dispensandi, ergo verius est etiam dedisse potestatem dispensandi in matrimonio rato, id exigente bono, & pace Ecclesie, cum ex dissolutione matrimonij rati non imminuat damnum proli, vel compati.

Probat 3. ex eo quod probabiliori sententia Pontifex possit dispensare in voto solemnium monastico castitatis, per quod tamen ipsum matrimonium ratum soluitur.

Neque argumenta quæ magno numero in contrarium adferuntur, sunt alicuius momenti, quia inde non sequitur Pontificem posse mutare materiam, vel formam Sacramenti, similiter non licet inde inferre quod posset dispensare in matrimonio consummato, nec etiam licet inferre Episcopum posse soluere matrimonium ratum, quia factis constat varia, quæ ad vniuersale bonum Ecclesie conducunt, reservari soli Pontifici, quæ inferioribus negantur.

Petes 1. an requiratur causa, vt Pontifex possit soluere vinculum matrimonij rati?

Negant aliqui, quod videntur debere asserere, qui sentent insolubilitatem matrimonij rati oriri ex solo humano iure: quapvis enim princeps peccet dispensans sine causâ in sua lege, dispensatio tamen est valida, vt communiter Doctores.

Verum ex eo capite nullo modo videtur probabile Pontificem posse absque causâ tollere vinculum matrimonij rati, quia est omnino impro-

babile.



babile, quod insolubilitas matrimonij rati oriatur ex solo iure humano.

Resp. Auct. Alij ergo omnino verius censent requiri iustam causam, non tantum ut licet fiat, sed etiam ut valide; cum enim vinculum matrimonij etiam rati, ut minimè ex iure diuino sit insolubile, & proinde Pontifex non possit illud propriâ autoritate soluere, sed solum vicariâ; nullo autem modo sit verisimile Deum dedisse potestatem suo vicario pro arbitrio valide matrimonium soluendi, omnino verius est requiri iustam causam ad valorem dispensationis, sicut omnium iudicio requiritur ad valorem dispensationis in voto vel iuramento.

Confir. talis potestas non posset censi cedere in bonum Ecclesiæ, & adificationem animarum, sed cederet in maximum detrimentum, ut cuius facile patere potest. verius ergo est Pontifici non esse ita illimitatè potestatem concessam, sed ex graui causâ saltem prudenter existimatâ.

Non tamen videtur exigi certi generis, sed existimo omnem eam sufficere, quam pro qualitate tam grauis negotij prudentes iudicant sufficientem.

Vnde sufficit si ex permanentiâ in matrimonio grauis perturbatio in regno, vel republicâ merito timeatur, ita ut pax eius turbetur, & dissidia intestina oriantur propter huiusmodi coniunctionem, quæ sit sopienda per dissolutionem matrimonij. Iusta etiam causa censi potest, si eadem dissidia inter magnates, & primarias familias alicuius reipublice oriantur ex aliquo matrimonio, cum harum familiarum dissidia communiter cedant in grauem reipublice perniciem.

3. Magna inequalitas contrahentium potest iustam causam suppeditare ad dissoluendum matrimonium, cum ex huiusmodi coniunctionibus valde infelices exitus in matrimonio sequantur, denique qualibet grauis causa quæ iudicio prudentum censi possit proportionata dissolutioni matrimonij. vbi

Notandum quod positâ graui causâ Pontifex non necessariò requirit consensum partium ad matrimonium dissoluendum, sed id possit etiam eis inuitis, quamuis non expediat.

Petes 2. an sit generaliter dispensatum propter aliam causam, quam professionem religionis?

Resp. negatiue. Sed an lege vniuersali statui possit ut matrimonium ratum possit solui per subsequens consummatum dubitari potest? Affirmant aliqui.

Verum probabilius videtur non posse, id enim præberet maximam causam superinducendi aliam, quod cederet in grauem iniuriam matrimonij, & coniugis.

Dices cap. licet, de sponsâ ditorum Alexander 3. ait: si inter virum & mulierem legitimus consensus interueniat, de presenti, ita quidem quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expressè recipiat &c. non licet mulieri alij nubere, & si nupsit etiam carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, Ecclesiastica diffinitione compellitur quamuis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando indicatum. inde enim videtur aliquando id factum, quod tamen sit reuocatum per prædictum capitulum, ita aliqui.

Resp. neg. assumptum. nam ex cap. citato non satis constat, num prædecessor ille, de quo agit Alexander 3. id Ecclesiæ proposuerit per modum constitutionis, an verò solum ut priuatus sen-

tentiam dixerit in re fortè tunc non ita clarâ.

Ex quâ solutione corruit argumentum hæreticorum, qui ex prædicto cap. conantur probare Pontifices posse errare in docendâ Ecclesiâ, cum vel errauerit Alexander 3. vel eius prædecessor contraria sibi inuicem docentes;

Sed 1. dicendum id minimè sequi, etiam si uterque tanquam Pontifex egisset. solum enim sequitur, quod Alexander 3. reuocasset constitutionem sui prædecessoris, quâ decreuerat, ut matrimonium ratum solveretur per subsequens consummatum, quod non arguit eos contraria docuisse.

Dicendum 2. prædecessorem nihil proposuisse Ecclesiæ tanquam pastorem, sed solum ut priuatum suam sententiam declarasse.

# D V B I V M IX.

*Verum matrimonium fidelium consummatum possit solui quoad vinculum viuentis utroque coniuge?*

ASSERVNT nostri temporis hæretici, de quibus supra dub. 1. Græci, qui dicunt reipsâ matrimonia dissolvere, ut in fine Concil. Florent. illis exprobrauit Eugenius 4. item Caiet. & ante hos omnes censuit Imperator Iustinianus L. *Sancimus*, 53. Cod. de Episcopis, & clericis sub finem.

Verum contrarium in Ecclesiâ est indubitatum. Itaque

Dico matrimonium fidelium consummatum nullo euentu solui potest quoad vinculum viuentis utroque coniuge. quod nequeat solui propriâ autoritate coniugum, vel mutuo consensu patet ex dictis dub. 1. citato, & peculiariter ex August. qui lib. 1. de nuptiis, & concupiscentiâ cap. 10. censet non posse solui vel propter alterius partis adulterium, vel propter sterilitatem mulieris.

Quod autem non solvatur etiam ex diuinâ concessione immediatâ, vel mediatâ ostenditur, si villo vnquam euentu solui posset, id potissimum fieret per professionem in religione approbatâ eo privilegio concessio in fauorem religionis & status perfectionis, Ecclesiâ verò non agnoscit hoc casu solui posse, ut patet ex cap. *verum. Ex publico. In parte*, 2. de conversione coniugatorum, quibus locis exigitur, ut commixtio carnalis inter coniuges non intercesserit, ut per professionem religionis prius matrimonium solvatur. vbi Pontifices implicite docent eâ interueniente non posse solui vinculum matrimonij, & ita sentit Ecclesiâ, scilicet neque iure diuino solui, neque concessam sibi facultatem illud soluendi, cuius rei congruentia potest assignari, quod matrimonium inter fideles consummatum perfectè representet coniunctionem Christi cum Ecclesiâ per vniorem hypostaticam, seu per assumptionem humanæ naturæ, quæ vniò est insolubilis.

Adde ex dissolutione talis matrimonij secutura incommoda, quod proli non ita prouideretur subtractâ illi curâ alterius saltem parentis, similiter quod pars relicta præsertim mulier non tam commodas nuptias fortiri posset, vnde fuit congruum ut Deus matrimonium habens talem statum nec per se immediatè solueret, nec tribueret Ecclesiæ soluendi facultatem.

Dices, matrimonium ratum & consummatum solo accidente differunt, ergo.

Refutatur quidam error hæreticorum.

66.

Hæreticorum error. Græcorum. Caiet. Iustiniani.

67.

Veritas Catholica.

Cap. verâ.

Cap. ex parte. Cap. ex publico.

68.

Congruentia resolutionis & veritatis Cathol.

Resp.



Resp.

Resp. quidquid sit de antecedente, neg. consequentiam; nam in iis, quæ ex alterius concessione proueniunt, non licet ab vno ad aliud argumentari propter aliquam speciem rationis, si ex altiori principio contrarium constet, sicut constat in presenti ex ipso sensu Ecclesiæ matrimonium ratum posse dissolui, non autem consummari.

Addo propter superueniens accedens mutari statum matrimonij, & ex dissolutione matrimonij consummati oriri damnum, quod non ita oritur ex dissolutione rati, unde quantumvis solo accedente differant, conuenit vinculum matrimonij consummati non solui.

69.

Replica altera.

Dices, saltem quo casu mulier vi vel graui metu incusso cognita fuerit, poterit solui vinculum matrimonij: cum pars non debeat commodum reportare ex iniuriâ.

Resp.

Resp. neg. assumptum, ad probationem dico id non oriri ex actu alterius, ut est iniurius, sed quia mutatus est status matrimonij: nam ratione copulæ matrimonium non remanet amplius intra terminos matrimonij rati: per accidens verò est, quod illa status mutatio inducatur per actum iniurius, vel non, item quod copula exerceatur per actum liberum, & ex perfecto rationis vsu prouenientem, vel sine vsu rationis. nam matrimonium consummatur, etiam si altera pars sit ebria, amens &c. unde in illâ circumstantiâ pars, quæ est vim passa, non potest matrimonij vinculum solvere: is tamen qui iniuriam intulit, nullo commodum reportat, nam pars iniuriam passa, v. g. quæ primo bimestri per vim est cognita, vel iniuste incusso graui metu, per se loquendo, potest religionem ingredi, ut longè probabilius censent multi relati à Sanchez lib. 2. disp. 22. num. 6. & 12, quia non debet priuari illo iure, eò quod ab alio iniuriam sit passa; eo autem casu etiam post professionem compars non potest inire aliud matrimonium, in quo magnum onus subit, & ita potius incommodum reportat.

Primo bimestri per vim cognita potest religionem ingredi, loquendo per se.

Dixi, primo bimestri, quia cum eo exacto pars non possit sine iniuriâ negare debitum comparti exigenti, non debet censi iniuriâ affici, si etiam vi cognoscatur, quo casu non potest ad religionem conuolare citra consensum coniugis, & seruatis ijs, quæ secundum iuris præscriptum sunt seruanda.

Dixi etiam, per se loquendo, quia per accidens ratione prolis fieri potest, ut non possit religionem ingredi, ut si proles ex recessu matris damnum pateretur, & non posset ita commodè educari.

Dixi etiam partem, quæ iniuriam passa est, posse intrare religionem, scilicet inuitâ comparte: nam ea quæ vim intulit non videtur villo modo posse religionem ingredi inuitâ comparte: cum ex parte suâ matrimonium voluntariè consummarit, atque adeo iuris dispositio, per quam consummato matrimonio non licet, per se loquendo, inuitâ comparte religionem ingredi, illam adstringat.

70.

Coroll.

Ex dictis sequitur, si coniuges post matrimonium consummatum religionem ingrediantur, & profiteantur, non solui matrimonium, atque adeo si iustâ de causâ per dispensationem Pontificiam relaxentur eorum vota viuâ comparte, non posse cum aliâ inire matrimonium.

Ad consummationem matrimonij quid requiratur, Coroll.

Aduerte ad consummationem matrimonij requiri ut copula superueniat matrimoniali contractui, saltem eum non præcedat.

Vnde si quis ducat in uxorem eam, quam prius

fornicariè cognouerit non dicitur matrimonium consummasse, neque propter hanc præcedentem fornicationem impediatur ab ingressu religionis antequam compartem in matrimonio cognoscat: quia consummatio matrimonij est quedam eius perfectio, & complementum, supponens id, quod dicitur complere.

Confir. copula consummans matrimonium debet esse maritalis, qualis non est fornicarius concubitus.

Dices, partes etiam per illam fiunt vna caro, ergo repræsentant vniionem Christi cum Ecclesiâ.

Obiect.

Resp. neg. consequentiam, quia vniio Christi cum Ecclesiâ est sponsi cum sponsâ, & proinde non repræsentatur per coniunctionem fornicariam, & ratione status illicitam, quâ aliquis adhæret non sue.

Resp.

Dixi, saltem non præcedat, quia copula carnalis exercita affectu maritali, per quam matrimonium contrahatur, obstat, quò minus vinculum matrimonij dissoluatur per professionem in religione approbatâ: quia ea non tantum est signum externum expressiui consensuum maritalis & sufficiens ad matrimonium ineundum, sed etiam est eiusdem consummatio, cum per eam coniuges fiant vna caro.

Diffic.

Difficultas est, vtrum ad consummationem matrimonij sufficiat, ut sponsus penetret vas coniugis, quamuis semen in illud non effundat, seu si non sequatur seminis effusio.

Duplex est hæc in re sententia. Prior affirmat. ita Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 61. art. 1. §. in hac diffinitate, in 2. conclus. Rodriguez tomo 1. summa cap. 239. n. 2. & alii.

Prior fac.

Posterior negat. tenet Sotus distinct. 17. quæst. 1. art. 4. §. hoc autem perplexum, Henriquez lib. 11. cap. 8. nu. 8. Sa verbo matrimonium nu. 18. Sanchez lib. 2. disputat. 21. num. 5. qui plures citat.

Prior fac.

Hæc sententia videtur verior. copula consummans matrimonium debet per se esse apta ad generationem; non est autem talis, quando vir non seminat in vase naturali femine ergo.

Prior fac.

Maior patet, quia aliàs frigidus, potens quidem vas femine penetrare, posset dici matrimonium consummare, & proinde matrimonium frigidorum non esset irritum, quod tamen constat esse falsum, saltem non esset irritum matrimonium eunuchorum, qui cum sentiant maximos libidinis æstus, non possunt seminare. præterea matrimonium non potest dici consummari, nisi vsu, quantum est ex se, apto ad finem generationis; non est autem vsus ex se aptus ad illum finem, nisi interueniat viri seminatio.

Prior fac.

Vnde sequitur, quod per solam penetrationem vasis feminei sine emissionem virilis seminis coniuges non fiant vna caro in ordine ad generationem.

Prior fac.

Probatur 2. Benedictus Pontifex can. lex diuinae constitutionis, 27. quæst. 2. tradit osculum non parere propinquitatem, quod nullam faciat sanguinis commixtionem, ergo ad contrahendam affinitatem ratione fornicariæ coniunctionis requiritur sanguinis commixtio, ergo eadem requiritur ad consummationem matrimonij: cum coniunctio, per quam affinitas oriri potest ratione fornicationis debeat esse talis, ut per eam matri-

matri-



monium postea consummari, si partes essent inter se legitime coniunctæ.

Prob. 3. Probatur 3. consummatio matrimonij non inuenitur, nisi ratione virtutis à viro relicta, per quam possit concurrere ad generationem prolis; sed in nostro casu nulla similis virtus relinquitur ex supposito.

Denique Doctores teste Sanchez supra communiter fatentur huiusmodi coniunctionem non parere affinitatem inter consanguineos viri, & feminæ, vel inter consanguineos feminæ, & virum; ex omni autem matrimonio consummato oritur vera affinitas, ergo signum est coniunctione non consummati matrimonij.

Replica. Dices hæc probare quidem non perfecte consummari, non tamē ostendere, quod ratione simplicis coniunctionis non inueniatur imperfecta quedam, & inchoata consummatio sufficiens ad omnimodam matrimonij insolubilitatem inducendam. ita Ledesma supra, quod

Confit. ex cap. verum cap. ex publico, cap. ex parte, 2. de consensu coniugatorum, vbi ad consummationem videtur solum requiri carnalis commixtio, quæ inuenitur per valis penetrationem etiam absque seminatione viri.

Adde si matrimonium eo casu non censetur sufficienter consummari ad inducendam omnimodam vinculi insolubilitatem viuentē utroque coniuge, sequetur damnum sponsæ quæ minus commodas alias nuptias reperiet. propter hæc & similia sententia affirmans est satis probabilis.

Resp. tamen solum copulam aptam ad generationem matrimonij consummare, nec agnoscendam aliam, & de hac intelligenda cap. citata, quāvis totidem verbis id non expresse sint potuerunt enim id supponere ex can. lex diuina, citato, ex quo patet responsio ad confirmationem.

Ad aliud dico, quod licet interdum per accidens ratione damni vir possit obligari ad remanendum in matrimonio: id tamen non oriretur ex eius consummatione, sed quia damnum ex supposito non possit aliter compensari. quia ratione interdum potest obligari iuuenis ad eam accipiendam in uxorem, quam desolauit etiam sine seminis effusione in vas naturale.

Ex dictis sequitur 1. quod si vir, qui non aliter cognouit uxorem, profiteatur in religione, matrimonium sit soluendum, & pars in saculo relicta tunc possit ad alias nuptias transire. quod etiam verum est, quamuis femina seminalet: siue enim eius semen requiratur ad generationem, siue non, constat illud solum non sufficere. Sequitur 2. quod vir mortuæ uxore alteram accipiens, cum quā matrimonium consummet possit sacris ordinibus initiari, si nullum aliud subsit impedimentum: cum enim non consummarit cum priore, neque cum eā factus sit vna caro, non dimittit corpus suum in duas uxores, & proinde non est censendus bigamus.

Quod si semen in vas femineum immiserit, quamuis forte propter minorem copiam non sit secutura generatio, matrimonium censetur consummatum, quia per accidens est, quod semini non sit effusum eā copiam, quæ ad generationem prolis sufficiat: alioquin ex ipsa ratione specificæ talis commixtionis apta est sequi generatio, & ratione illius dici potest intercedere sanguinis commixtio: quemadmodum verè consummatur matrimonium, etiam si mulier propter laxitatem non possit semen virile retinere, & ita ex conse-

quenti ex eā coniunctione non possit reipsa sequi generatio, quia id est per accidens, & de cætero ex eo modo generatio sequi potest. quod verò hic dicimus, intelligendum iuxta proximè dicenda.

Alia enim est difficultas, vtrum solius viri seminatio sufficiat ad matrimonij consummationem.

Plures tenent sufficere, eod quod semē feminæ non sit necessarium ad generationem, vt post Philosophum tenet S. Th. 3. parte quæst. 31. art. 5. ad 1.

Verum non est improbabile requiri etiam seminationem feminæ. 1. quia multorum est sententia quod semen femineum per se etiam requiratur ad generationem, & quod mater per suum semen etiam actiue concurrat ad generationem, saltem communius tenent philosophi semen feminæ requiri ad generationem tanquam materiam. 2. Benedictus Pontifex can. lex diuina constitutionis, citato, dicit osculum non parere propinquitatem, quod nullam faciat sanguinis commixtionem, ergo ad affinitatem (de qua ibi loquitur) iuxta illum requiritur commixtio seminis virilis, & feminei, cum non possit dici commixtio sanguinis, si addit solum semen virile. 3. constat feminas posse etiam seminare: illud autem videtur à natura ordinatum ad generationem, cum ergo natura nihil faciat frustra, illa vis naturalis videtur feminæ indita tanquam aliquo tandem modo necessaria ad generationem, & proinde si desit semen femineum, deest aliquid per se necessarium ad generationem, & per consequens ad consummationem matrimonij, atque adeo ad illius consummationem non sufficit solius viri seminatio.

Ex quo sequitur 1. quod si viro seminante mulier non seminauerit, idque partibus constet, possint religionem ingredi, siquæ probabile, quod per professionem soluitur matrimonium, atque adeo pars in saculo relicta, possit aliud matrimonium intrare.

Sequitur 2. si vir in eadem circumstantiā mortuæ uxore aliam accipiat, cum quā consummet matrimonium, non idcirco impediatur factos ordines recipere: quia ex eo capite non erit bigamus.

Notandum verò quod ad consummationem matrimonij non requiratur, vt vxor simul cum viro seminet, sed sufficiat, si etiam seminet post exercitum actum coniugalem: quia ea seminum commixtio ad generationem sufficit, & proinde ad matrimonij consummationem.

Ex dictis sequitur, quod si semina viri, & feminæ commisceantur viro non penetrante vas naturale feminæ, consummabitur matrimonium, vt tradunt Sorus, & Sa supra. Henriquez lib. citato cap. 15. num. 13. & plures quos citat, & sequitur Sanchez disp. citata num. 12. Ratio est, quod penetratio valis feminei solum requiratur ad seminationem generationi necessariam, vnde ipsa seminatio est, quæ per se requiritur ad consummationem, vt pote per se sufficiens, & necessaria ad generationem; ergo quando cumque semen virile recipietur intra vas naturale femineum, etiam absque eiusdem penetratione, matrimonium consummabitur: plures autem testantur id fieri posse vi naturalis matricis semen virile attrahente.

Idem non videtur in casu, in quo semen virile non recipitur intra vas naturale femineum, sed per alium modum, vt per os, & ita ex conse-

78.

Difficultas altera.

D. Thom.

79.

Probabiliter requiritur seminatio femineæ.

Secundò.

Tertiò.

80.

Coroll. 3.

Coroll. 2.

81.

Coroll.

Sor.

Sa.

Henric.

Sanchez.

82.



## D V B I V M X.

*Utrum per se loquendo coniuges teneantur sibi mutuo cohabitare?*

32. **Q**UAMVIS de hoc dubio infra in materiâ de debito coniugali tractari possit, quia tamen cohabitatio videtur aliquo modo spectare ad nexum matrimonij, non incommode in presenti est examinandum.

83. **D**icendum autem, per se loquendo, coniuges teneri sibi mutuo cohabitare.

Prob. 1. ex Gen. 2. *quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* quibus verbis primus parens indicat maritum debere cohabitare uxori: quod etiam declaratur in definitione matrimonij, ubi dicitur: *individuum viri & consuetudinem retinens.*

Prob. 2. ex eo quod, per se loquendo, coniux teneatur parti debitum reddere, quod non potest commodè præstari sine cohabitatione, quam etiam requirit pro lis educatio.

Confirmatur, distante lumine naturæ diversæ sunt officia maris, & femine in iis, quæ ad vitam humanam traducendam sunt necessaria, in quibus proinde mutua cohabitatio est necessaria.

84. **C**orollarium. Ex his deducitur 1. obligationem cohabitandi oriri ex ipsâ naturâ contractus matrimonialis. 2. coniuges etiam per censuras posse compelli ad sibi mutuo cohabitandum. 3. virum non posse diutius abesse ab uxore sine gravi causâ, & mortaliter peccare, si diutius absit, non subsistente causâ.

Si iusta causa, siue communis siue priuata, sublit, non peccat, ut si princeps ad militiam euocet, si propter negotia domestica iter facere debeat vel alibi aliquamdiu morari &c.

Sequitur etiam, per se loquendo, uxorem teneri comitari virum volentem mutare domicilium, eum enim viro cõpetat administratio familiæ potest domicilium mutare etiam inuitâ uxore, quæ proinde teneatur eum sequi ex necessitate cohabitandi ortâ ex vinculo matrimonij.

Quod non solum intelligitur, quando vir ex causâ mutat domicilium, sed etiam licet absque peculiari ratione id faciat: & ita quæ ad utramque partem communius sentiunt Doctores.

85. **D**ixi, per se loquendo, quia per accidens potest non obligari, ut si ex eâ sequela imminet periculum in animâ, corpore, vel famâ: non enim tenetur cohabitare viro cum suo gravi discrimine.

Vnde mulier non tenetur sequi virum vagum, saltem quando tempore matrimonij non solebat vagari, vel id erat ignotum coniugi: nam esset grave onus mulieris obligari ad huiusmodi sequelam, quod si tempore contractus eius mores noverat, videtur in illud onus consensisse, nisi causa vagandi sit turpis.

86. **P**er accidens etiam, ratione pacti in contractu matrimoniali adiecti, vxor non tenebitur maritum sequi.

Porro illud pactum nec videtur illicitum, nec inualidum, cum non repugnet naturæ matrimonij, quod inest pactum, ut coniuges certo loco figant domicilium. quo casu mulier non tenebitur virum sequi volentem mutare domicilium,

nisi videlicet peculiaris ratio intercedat, ob quam necesse sit virum deferere locum, ut siater valetudini eius graviter officiat.

Quia pacta in similibus circumstantijs non obligant, cum per contractum cum alio initum nullus censetur se velle obligare ad non recedendum ex aliquo loco quantumvis eius valetudo patitur detrimentum, sed hæc, & similes circumstantiæ censentur exceptæ, cum ergo non obstant pacto vir possit in eo casu domicilium mutare, & mulier, per se loquendo, seposito pacto, teneatur comitari virum domicilium mutantem, sequitur eam in simili circumstantiâ teneri, & modo magis, si in loco domicilij graves peccandi occasiones se offerant, quæ moraliter non possint aliter evitari quàm loci mutatione: immo in his, & similibus circumstantiis vxor tenebitur virum sequi, quantumvis pacta iuramento essent firmata: quia etiam iuramenta in iis circumstantiis non astringunt.

Tenebitur etiam comitari, si vir in exilium sit missus: ita multi, quia tunc necesse est illum mutare domicilium, in quo casu mulier tenebitur sequi viri infortunium: quemadmodum interdum vir potest obligari sequi uxorem ex aliquâ causâ necessariâ ad domicilium recedentem.

## D V B I V M XI.

*Utrum fideles matrimonio consummato possint separari quoad thorum & cohabitationem vinculo matrimoniali remanente?*

**N**EGANT Lutherus, Melancthon, Kemnitius, teste Bellarm. libr. de matrimonio, cap. 14. immo, eodem teste, Kemnitius reprehendit Ecclesiam, quod pluribus de causis divorcium quoad thorum concedat.

Sed certâ fide tenendum est posse, definitur in Trident. sess. 24. can. 8. in hæc verba: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad habitationem ad certum, incertumque tempus fieri posse decernit, anathematis.*

Probatur 1. ex Matth. 19. *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem &c. machatur.* ubi iuxta variorum expositionem Christus infirmat uxorem adulteram posse à marito dimitti.

Vide Concil. Milevitannum cap. 27. August. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 4. dicentem: *licet dimittitur coniux ob causam fornicationis, sed manet vinculum.* vide eundem de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 25. dicentem: *fieri potest, ut vir dimittat uxorem causâ fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit, iam vero sine illi nubere conceditur viro viro à quo recessit, neque huic alteram ducere viua uxore, quam dimisit, multo minus fas est illicitè cum quibuscumque stupra committere.* videtur possumt canon, licet, & canon, fieri potest, 32. quæst. 7. ubi & quidam alij in hanc rem adferuntur.

Ex quibus patet, quod eo loco Matth. significetur posse adulteram dimitti, manente vinculo coniugali.

Ex quo sequitur adulterum etiam dimitti posse, quod patet ex Concil. Milevitano citato, & ex eo quod in hac parte paria sunt iura viri, & mulieris.



Prob. 2. ex  
1. Cor. 7.

Probatur 2. ex Apostolo 1. ad Corint. 7. *Ijs autem, qui matrimonio iuncti sunt, precipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere inuictam, aut viro suo reconciliari.* quâ posteriori parte Apostolus iuxta Domini sententiam Matth. 19. permittit uxori ex causâ rationabili virum deserere: ita tamen, ut nulli alteri eo viuo copuletur per matrimonium.

Ex quo patet solutio argumenti Kemnitij dicentis Apostolum eo loco non agere de iusto diuortio, sed de eo, quo interdum coniuges leuibus ex causis à se inuicem discedunt, quod probat, quia aliquin Apostolus non præciperet uxorem à viro non discedere.

Dico enim quod Apostolus in sententiâ citatâ duo faciat: priori parte docet iuxta præceptum Domini uxorem non posse à viro discedere, scilicet, per se loquendo, & nullâ graui causâ subsistente: posteriori verò parte ait, si discedat graui de causâ, v. g. propter viri adulterium, nulli alteri nubat, sed si nolit reconciliari viro, innupta maneat.

Confir. nisi Apostolus loqueretur de iusto recessu, non diceret *manere inuictam aut viro suo reconciliari*, sed diceret determinatè *reconciliari*, cum mulier ad id determinatè obligaretur.

Adde quod aliâ Apostolus eâ loquendi formâ præberet occasionem iniuste denegandi suum consortium marito, & ita hunc locum intellexit Aug. lib. 1. de adulterinis coniugiis, primis capitibus.

Dices, Apostolus ibidem absolutè dicit: *et viro uxorem non dimittat.*

Resp. subaudiendum esse, nisi grauis causa subsistat, de quâ paulò ante idem Apostolus egerat. Mirum est, quomodo hæretici ita in omnem partem se vertant, & cum scripturâ ludant, cum, ut vidimus dubio 1. huius quaestionis, censent mulierem propter fornicationem ita posse dimitti, ut etiam solvatur vinculum coniugale.

Probatur 3. ratione, translatio dominij corporis in ordine ad generationem, quæ fit per matrimonium, & quæ per se loquendo requirit vitam socialem vtriusque coniugis, non potest, vel debet intelligi cum aperto animæ, vel corporis periculo; igitur cum tale periculum imminet, pars potest se se à comparte separare. antecedens probatur, nullus tenetur adhærere alteri cum periculo vitæ, nec potest cum periculo mortis, ut patet ex Matth. 18. ubi Christus Dominus dicit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* in quem locum Hieron. ait: *Itaque non frater, non uxor, non filij, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à regno celorum, avari Domini præponatur.*

Confir. obligatio permanendi cum comparte vel oritur ex iure, quod illi competit respectu nostri, vel ex bono prolis, idque vel ut proles generetur, vel ut commodè educetur; dominium autem, quod vni competit respectu alterius, non tribuit tale ius, ut alterum obliget omni euentu ei cohabitare: nullus enim quantumvis velit, potest obligari ad cohabitandum alteri cum aperto, salutis periculo, neque ad idem potest se obligare cum manifesto periculo mortis, vel mutilationis membrorum, cum non sit dominus suorum membrorum. Bonum prolis quod in eo consistit, ut ea generetur, non inducit in coniugibus obligationem quouis euentu sibi cohabitandi: quia ius, quod unusquisque habet ad sui conseruationem, vel ad euitanda animæ pericula, præualeat iuri quod fortè concipitur inesse proli, ut sit.

Confir. 1. proles propriè nullum ius habet ut sit, cum sine eius iniuriâ coniuges possint perpetuò abstinere ab actu coniugali. Præterea quamuis fingeretur aliquod ius ei competere, semper esset intelligendum saluo iure parentis, quod est antiquius.

Confir. 2. parens non tenetur cum aperto animæ vel corporis periculo succurrere proli natæ, ergo multò minus tenebitur cum simili periculo cohabitare comparti, ut fortè proles nascatur.

Confir. 3. pars non tenetur comparti debitum reddere cum manifesto vitæ periculo; ergo non tenebitur ei cohabitare cum simili periculo propter bonum prolis, in eo consistens, ut proles generetur.

Iam quod neque teneatur comparti cohabitare, ut proles commodè educetur, probatur, quia parens non obligatur ad educationem prolis cum manifesto animæ periculo. Idem dicendum si imminet apertum vitæ periculum.

Confir. si maritus uxorem occidat, ea non poterit prolem educare, ergo frustra dicitur in tali casu feminam obligari cohabitare viro propter commodam prolis educationem.

## D V B I V M XII.

*Utrum propter adulterium compartis liceat sese ab eâ separare?*

RESP. affirmatiuè. patet ex Matth. 19. Concilio Mileuitano cap. 17. August. lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 2. & 4. lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 25. citatis dub. superiori. ratio est quod adulter peccet fidem debitam comparti violando, propter quam violationem compars potest eum relinquere. quamuis enim Christus Dominus solius viri mentionem faciat, non tamen illi soli competit ius discedendi ab uxore, sed in hac parte paria sunt iura viri, & mulieris. Solius verò viri mentionem facit, quod congressus cum Pharisæis id solum postularet: nam, ut patet ex Matth. 19. ij. de solo marito agebant, inquirentes, num liceret uxorem qualibet ex causâ dimittere.

Dicta intelliguntur quando pars peccauit: si enim sit immunis à culpâ, non potest dimitti, ut si fuerit vi oppressa, si cognita ab aliquo sese fingente eius maritum, cuius dolum non potuerit deprehendere, si adhibita diligentia bonâ fide existimari maritum obisse, ideoque alteri matrimonio iuncta est, & ab eo cognita: immò idem videtur dicendum etiam cum alio fornicetur, quia talis actus non continet formaliter violationem fidei coniugalis.

Aduerte 1. adulterium talem præbere causam separationis, ut vel semel commissum tribuat ius comparti innocenti sese in perpetuum separandi, quantumvis altera sit parata se corrigere. vnde pars innocens potest religionem ingredi, similiter vir potest sacros ordines recipere, inuitâ comparte adulterâ. id tamen non conceditur parti nocenti etiam diuortio per iudicis sententiam celebrato, nisi habeat consensum partis innocentis, vel innocens susceperit statum obstantem, quod minus partem à se relictam licet possit cognoscere: cum enim hæc separatio permittatur innocenti in eius fauorem, atque adeo compars quamuis dimissa teneatur illi exigenti non prohibito per statum debitum reddere, sequitur quod innocente suscipiente statum, per quem impeditur, quod minus

M m m

licitè

91.

Resp. affirm.

92.

Limitatio  
enim sit immunis à culpâ, non potest dimitti, ut si fuerit vi oppressa, si cognita ab aliquo sese fingente eius maritum, cuius dolum non potuerit deprehendere, si adhibita diligentia bonâ fide existimari maritum obisse, ideoque alteri matrimonio iuncta est, & ab eo cognita: immò idem videtur dicendum etiam cum alio fornicetur, quia talis actus non continet formaliter violationem fidei coniugalis.

93.

Adulterium  
semel commissum tribuit ius innocenti se in perpetuum separandi, Coroll.



licitè petat debitum, pars dimissa non ampliùs impediatur statum aliquem perfectionis suscipere.

94.  
Sanchez.

Aduerte 2. hanc potestatem variorum sententià, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 1. disput. 4. num. 3. etiam competere propter sodomiam, vel quemlibet alium illicitum concubitum, compartis cum emissione seminis. quamvis enim per hos concubitus, in rigore loquendo, carnes non diuidantur in ordine ad generationem, neque alteri commisceantur modo ad generationem apto; nihilominus tamen etiam per eos fides maritalis violatur, & grauis iniuria inferitur comparti per actum externum in suo genere consummatum, & aliquo modo carnes diuidentem, quando semen in eo emittitur.

Confirm. fides coniugalis non videtur tantum postulare, vt reddatur debitum parti exigenti, vel vt non cognoscatur altera modo ad generationem apto, sed etiam vt nulli adhæreatur, siue propter sexum identitatem generatio sequi non possit, siue id contingat propter speciei diuersitatem, siue quoddam semen non effundatur in vas aptum generationi, & lumen naturæ dicat etiam omnibus illis modis grauem iniuriam matrimonio irrogari, eamque in suo genere completam. Id autem dicendum non solum, quando quis in actu sodomitico se habet actiue, sed etiam quando passiue. vnde si cuius compars cum sit passa, innocens potest se etiam in perpetuum ab ea separare.

Coroll.

95.  
Petitio.

Petes, vt idem sit dicendum si vir propriam vxorem per vim sodomiticè cognoscat, seu eo modo, quo non possit sequi generatio? Suppono quod cum possit esse graue periculum consensus in illum concubitum, vxor possit à viro recedere propter eam causam: præsens verò petitio intelligitur, per se loquendo, & seposito omni periculo peccati in ea, quæ vim patitur.

Resp. affir.  
probabilis.

Resp. videri probabile quoddam sic, quia est grauis abusus dominij corporis vxoris sibi concessi, & talis actus etiam circa propriam vxorem valde repugnat fidei coniugali.

96.

Suppositio.

Aduerte 3. quod licet pars innocens propter hæc adulteria, vel sodomiticos congressus sese possit separare à comparte, vel quoad thorum, vel quoad cohabitationem, possitque ei debitum negare, pars tamen nocens non teneatur abstinere ab actu coniugali, vel discedere, antequam innocens ei neget congressum, vel eam relinquat. pro quo

Suppositio.

Suppono 1. per matrimonium coniuges acquirere mutuum dominium corporum in ordine ad generationem, & communisimè cum proximo iure vtendi, atque adeo esse in possessione corporis compartis in ordine ad generationem, ita vt, per se loquendo, saltem post primum bimestre possint licitè debitum coniugale petere propter ius sibi competens ex contractu matrimoniali.

Suppositio 2.

Suppono 2. quod licet facultas se à parte nocente separandi quodammodo connaturaliter oriatur ex ipso matrimonio, naturà contractus præbente facultatem deferendi eum, qui fidem coniugalem fregerit: ipsa tamen executio facultatis sit pœna respectu eius, qui deseritur.

Nemo tenetur sibi pœnam infligere, antequam condemnetur.

Vnde cum nullus teneatur sibi ipsi pœnam infligere, antequam condemnatur, neque se teneatur priuare iure, quod legitime acquisiuit, & possidet, pars nocens non tenetur se priuare iure petendi debitum, antequam à comparte innocente puniatur, & priuetur per modum pœnæ, sed potest

more consueto se gerere. Immo si peccatum sit ita occultum, vt compars illud non cognoscat, potest vtgere tanquam debitum, & vim vxori neganti inferre, quia status matrimonialis hanc præbet illi facultatem; igitur id potest, antequam legitime puniatur: in nostro verò casu pars innocens non potest punire, cum crimen ignoret, vt supponitur.

Quod si innocens crimen compartis cognoscat, pars nocens non potest debitum exigere vim inferendo, cum in eo casu innocens possit ei libertè debitum negare, & censeatur negare in ea circumstantiâ nolendo congressum.

Sed quid si innocens tantum suspicetur, vel saltem probabiles coniecturas habeat?

Resp. non posse eo casu debitum parti nocenti negare, vel se ab ea quoad habitationem separare, quia pœna non potest ab homine infligi nisi saltem moraliter constet de crimine perpetrato, & nullus per modum pœnæ debet deturbari de sua possessione, nisi puniens sit sufficienter instructus notitiâ ad puniendum, cum ceteris paribus melior sit conditio possidentis, & in pari causa reo sit fauendum. vnde si nocens non erit, inculpam solis suspicionibus duci, vel argumentis tantum probabilibus, & quæ rem non satis illi asperiant, potest more consueto debitum exigere, etiam tanquam debitum: verè enim illi debetur, neque eo iure legitime in ea circumstantiâ priuari potest.

Dices, compars solum per accidens non potest sine peccato negare: quod non tribuit alteri ius debitum exigendi.

Resp. ignorantiam innocentis non tribuere ius exigendi debitum, sed facere quod non possit punire, vel ius alterius elidere, quo posito ratione iuris antea competentis potest exire in actum illi iuri proportionatum, seu illo iure non minus liberè vt, quam si crimen non commisisset: quemadmodum si quis commiserit crimen propter quod secundum leges bonis suis priuari possit, illud tamen nullo modo sit in iudicio probabile, non potest suis bonis per iudicem priuari, & potest non minus liberè, & licitè deus disponere, quam si crimen non commisisset, eaque defendere contra quemlibet, idque non planè per accidens, sed ratione iuris antiqui sibi competentis, quo iure in ea circumstantiâ priuari non potest.

Vnde ad priorem partem assumpti Resp. eam concedendo si particula, per accidens, intelligatur, quod ex parte obiecti subit verè causa sufficiens negandi debitum, si tamen intelligatur quod omnino per accidens non possit negare.

Resp. neg. quia scientia non planè per accidens requiritur ad puniendum, sed tanquam conditio per se requisita, ita vt non tantum sit quomodocumque illicitum punire crimen ignotum, sed sit contra iustitiam, quia crimen in illa circumstantiâ non est per humanam potestatem punibile.

Aduerte 4. variis casibus innocentem non posse dimittere partem nocentem.

1. Si iniuriam illi remisit si post cognitum compars adulterium eandem carnaliter cognouit: tunc enim implicite remittit, neque est in eius potestate situm compartem adulteram cognoscere, & postmodum relinquere, vt censent varij, quamuis aliqui contrarium eo casu non improbabiler teneant. Sa verbo, diuortium num. 7.

Dico,



Dico, si post cognitum adulterium: si enim illud ignoret, per maritalem congressum nullus censetur condonare poenam, quā non nouit posse alterum puniri.

Idem dico si aliqua quidem habeat argumenta adulterij commissi à comparte, non tamen sufficientia ad negandum debitum: tunc enim solum reddit ex vi antiquae obligationis, à quā in his circumstantiis non potest liberari, & totum facit, ne forte compartem iniuste defraudet iure sibi debito.

Immo id etiam est probabile, quamuis innocens debitum coniugale exegerit: quia per hanc petitionem non censetur sibi adimere potestatem dimittendi compartem nocentem, ubi de crimine sufficienter ei constiterit, neque in hac circumstantia censetur per illum congressum condonare compartem crimen, de quo non sibi sufficienter constat.

Adde innocentem posse etiam dimittere compartem carnaliter cognitam post adulterium sibi notum, si copula fuerit vi, vel graui metu iniusto extorta, quia per talem copulam, in quā nouam patitur iniuriam, non censetur condonare fidei violationem, nec potest censeri reconciliari.

3. Si vir uxorem prostituit, non potest eam dimittere, vel se ab eā separare.

4. Pars quae antea erat innocens non potest compartem adulteram dimittere, si contingat ipsammet adulterari, quia eo casu compensatur violatio fidei. vide 32. quaest. 6. & cap. significasti, de diuortijs, & cap. intelleximus, de adulterijs.

Nec obstat, quod adulterium mulieris sit grauius peccatum, & grauiorem iniuriam contineat quā adulterium viri. quamuis enim ex alijs capitibus possit esse grauius, in eo tamen sunt paria iura, quod neuter alteri possit fidem violare, & quod per adulterium posterioris verē violetur fides maritalis, siue minus sit peccatum, quā praecedens adulterium, siue non: vnde etiam si vna pars plura commisisset adulteria, tamen vel per vnum adulterium posterioris admittit potestas compartem deferendi. hoc verō intelligitur, per se loquendo, nam si postquam vterque adulterium commisit, & sibi mutuo sunt reconciliati, vno se emendante alter in peccato perseueret, potest is, qui se emendauit, compartem deferere.

Petes 1. vtrum, si vterque commisit adulterium, sed vnus sit notum, alterius verō ignotum, is, cuius adulterium est ignotum, possit comparti debitum negare, vel ab eā separari: negat Petrus Ledesma de matrimonio quaest. 62. artic. 1. in fine dubij 1. & in dub. 2. quem sequitur Rodriguez tomo 1. summae cap. 239. num. 3. Sanchez lib. 10. disp. 6. num. 9. quod est probabile: nam propter paria delicta videtur elidi potestas compartem dimittendi: forte tamen non est improbabile eum, cuius crimen est occultum, & comparti ignotum, posse eam dimittere: quia non obstat suo crimine ignoto potest comparti punire. non casleo tamen à communi sententia recedendum.

Petes 2. an innocens teneatur coniungi parti nocenti, si ipsamet post separationem adulterium committat?

Resp. 1. non posse, si antea susceperat statum, per quem actus coniugalis non esset ei amplius licitus, vt verbi gratia si fuerat sacris ordinibus initiatus, vel religionem professus.

Resp. 2. non teneri redire ad compartem, si non

possit absque notā infamiae, v. g. si quis postquam per sententiam iudicis à comparte est separatus adulterium occulte commisit, non tenetur compartem recipere, si inde aliquod infamiae periculum incurreret, vt si oriretur suspicio, quod tanquam obligatus propter simile adulterium eam reciperet: nullus enim tenetur cum tanto suo detrimento comparti reconciliari.

Resp. 3. his & similibus causis extrinsecis sepositis, teneri compartem recipere, colligitur ex cap. ex litteris, de diuortijs. ratio est, quod iam paria sint delicta, & violatio fidei alterius violatione sit compensata. Aliqui tamen non improbabiler contrarium sentiunt.

Petes 3. an si constiterit de adulterio, requiratur sententia iudicis, vt innocens possit adulteram dimittere?

Resp. non requiri, si de crimine publice constet; si verō sit occultum, & separatio foret scandalosa, requiri superioris auctoritatem, vt separatio fiat quoad habitationem, non tamen, vt fiat quoad thorum. videri potest Sanchez lib. 10. disp. 12. num. 31. Sa verbo diuortium num. 1. & alij. quamuis aliqui existiment pro separatione quoad habitationem requiri sententiam, cum ea sit publica, vt Nauar. cap. 22. num. 21. Valent. disput. 10. quaest. 4. puncto 2. §. prima causa est, Valent. qui aliquibus euentibus id limitat, Couar. epitome 4. decretalium 2. parte cap. 7. §. 5. num. 12. sed quod diximus, seposito scandalo, in conscientia est verius.

### DVBIVM XIII.

Vtrum alijs de causis liceat se à coniuge separare?

VIDETUR non licere, quia Christus Matth. 5. & 19. solam fornicationem excepit.

Confirm. non tantum excepit, sed etiam positum interdixit separationem propter quamuis aliam causam: nam cap. 5. dicitur: Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, & Matth. 19. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c. ex quibus locis habemus iure diuino, vel naturali non licere aliā de causā uxorem dimittere. 2. Augustin. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 2. aperte tradit ob solam fornicationem licitum esse à comparte discedere.

Sed de fide est pluribus de causis coniuges posse à se inuicem separari, vt definitur in Trident. sess. 24. can. 8. & rationes à nobis factae dub. 11. probant. vnde variae causae iustae separationis assignantur à Doctoribus.

Prima est scilicet mariti, propter quam vxor potest petere à iudice separationem, immo, si periculum urgeat, ita vt non possit commodè aliter sibi, quā per fugam consulere, potest propria auctoritate, & tamdiu separatim viuere, quamdiu durat morale periculum.

Alterca causa est, si coniunx compartem ad peccatum pertrahat. quo etiam casu potest tamdiu separatim remanere, quamdiu durat periculum, immo ad hoc tenetur, si ex cohabitatione, & confortio partis imminet morale peccati periculum, quod etiam in priori casu dici potest. cum

M m m m 2 enim



enim non sumus domini vitæ, & membrorum nostrorum, non possumus citra peccatum nos absque graui causâ exponere manifesto periculo amissionis illorum. quod si periculum non sit ita præsens, potest saltem separatio peti à iudice, qui potest separare coniuges, nec debet curare, ut pars ad maritum suum redeat, nisi de sufficienti securitate ei provideatur. videri potest cap. *litteras*, de restitutione spoliatorum, in fine, quod aptari etiam potest ei, cui à comparte imminet periculum pertractionis in peccatum.

Cap. *litteras*.  
vlt.

Tertia.

Cap. *de illâ*  
Cap. *quanto*.  
to.

Tertia causa est hæresis, quæ fornicatio spiritualis dicitur. patet cap. vltimo de conuersione coniugatorum, cap. *de illâ*, de diuortijs, & supponitur cap. *quanto*, in fine, eodem titulo. sub hæresi comprehenditur omnis infidelitas, in quam labitur pars post baptismum, ut cap. vlt. & cap. *quanto*, citatis.

Notandum si mulier recessit à viro sine iudicio Ecclesiæ, ei est restituenda post conuersionem, ut patet cap. *de illâ*, citato, ita ut si nolit reuerti, possit compelli. cum verò restitutio non fiat per modum pœnæ, seu mulier in hoc non puniatur, quod debeat ad maritum conuersum redire, ad id obligatur, ubi sufficienter confiteri de viri conuersione: quia non videtur habere ius diutius permanendi separata propriâ autoritate, quam vir in hæresi permaneat. si recesserit autoritate Ecclesiæ, non potest compelli redire ad virum etiam conuersum, ut cap. *de illâ*, decernitur, neque tenetur ad eum reuerti, etiam si diuortium non sit celebratum ad instantiam partis Catholicæ, sed maritus simpliciter sit condemnatus hæreseos sine vllâ vxoris instantiâ, quia hæc condemnatio implicite continet pœnam diuortij, ita tenent varij: quamvis aliqui in hoc casu contrarium sentiant. Confirmari potest ex cap. *de illâ*, ubi non ponderatur, quod separatio facta sit ad instantiam partis, sed solum, quod facta sit iudicio Ecclesiæ.

105.

Obiectio.

Resp.

Dices, nullum diuortium potest esse perpetuum, præterquam propter fornicationem carnalem.

Resp. neg. assumptum: quamvis enim sola fornicatio talis sit, ut vel propter vnicam pars innocens perpetuum diuortium possit facere: nihil tamen verat per legem vel iudicis sententiam decerni perpetuum diuortium propter aliquod crimen, quale inductum est cap. *de illâ*, citato, quando pars innocens iudicio Ecclesiæ recedit, quod facit tum, quando ad eius instantiam diuortium celebratur, tum quando alter condemnatur hæreseos.

106.

Dices, id priuilegium non videtur vniuersaliter concedi, sed solum, si velit ad religionem transire, ut patet cap. vlt. de conuersione coniugatorum.

Resp. neg. assumptum, ad capitulum dico, eo quidem decerni, quod pars iudicio Ecclesiæ separata propter infidelitatem compatis possit etiam eâ inuitâ ad religionem conuolare, non tamen decerni, quod teneatur partem conuersam recipere, si nolit religionem ingredi, cuius contrarium statuitur cap. *de illâ*, citato.

Quarta  
causa.

Præter causas recensitas lepra, vel similis morbus contagiosus interdum præbet sufficientem causam separationis, de quo particulariùs infra.

Quinta.

Ad hæc coniuges possunt mutuo consensu quibusdam casibus à iure concessis studio vitæ perfectionis à se inuicem separari.

107.

Aliqui consent propter alia compatis peccata posse vnum coniugem ab alio separari, ut propter furta, sed id nullo modo concedendum est, per se

loquendo, patet cap. 2. de diuortijs, ubi expresse dicitur: *Maritus pro facto, vel alio crimine cuius ab eo separari non debet.*

Dixi, per se, quia si crimen cederet in detrimentum alterius, is separari posset, potest etiam vir aliquamdiu abesse ab vxore mala vitæ per modum correctionis: quemadmodum enim potest illam aliis modis corrigere, ita & hoc, si iudicet hac ratione emendandam.

Ad argumenta initio allata Resp. ad prius neg. consequentiam, quia Christus eo loco noluit excludere causas, propter quas etiam iure naturæ licet vnicuique se ab altero separare, & multo minus exclusit causas, propter quas aliquis obligatur ab alio discedere: fecit tamen mentionem solius fornicationis, tum quia illa est vnica causa, propter quam spectatis etiam legibus matrimonij diuortium fieri possit, cum per se & directe auerteretur fidei coniugali, & ita positio omni iure positio iustam causam præbeat diuortij: aliter verò causæ non sint huiusmodi, tum quia fornicatio ita est sufficiens causa diuortij, ut vel vna sufficiat ad diuortium perpetuum faciendum, & quidem propriâ autoritate quoad thorum, verisimiliter etiam quoad habitationem, cellante scandalo: ceteræ verò per se citra iudicis sententiam non sunt tales, sed solum propter periculum præbeant occasionem recessus.

Ex quo patet ad confirmationem argumenti, ad quam Resp. neg. Christum positum interdixisse separationem qualibet aliâ ex causâ: quia sententiis scripturæ citatis solum voluit quod sola fornicatio esset causa per se diuortij, & quod in posterum non liceret maritis variis de causis etiam priuatâ autoritate diuortium perpetuum facere: non verò interdixit id, quod alioquin iure naturæ est licitum, non etiam priuauit publicam potestatem facultate separandi coniuges iustâ ex causâ ad certum, incertumque tempus.

Ad secundum Resp. Augustin. solum velle fornicationem esse solam causam licitæ separationis, quæ scilicet in sacris litteris tradatur, & quidem tanquam propriam secundum leges matrimonij.

## QUESTIO VI.

### De bonis matrimonijs, & specificatione de bono fidei.

#### D V B I V M I.

Virum aliqua bona sint constituenda quibus matrimonium aliquo modo censeatur excusari?

**R**ESP. affirmatiue, ita cõmuniter Theologi ex August. lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 7. & lib. 1. de nuptijs, & concupiscentiâ cap. 11. vbi

Notandum matrimonij bona non eo sensu assignari, quod ea sint omnino matrimonio extrinseca, vel per modum effectus, vel per modum vsus, vel quod matrimonium secundum se sit illicitum, & vetitum: neutrum enim verum est, cum